
Poetae Latt.
recentiores

Werp

Dom. Prof. [illegible] S. J. [illegible]



COLONIÆ Apud IOANNEM KINCHIVM,
Sub Monocerote.
ANNO MDCXL.

ADM.dum REV.do PATRI,

MVTIO VITEL-LESCO, SOC. IESV

PRÆPOSITO GENERALI.

VEnio ab extremis Eburonum oris, P. Vª. munusculum reipsâ leue, affectu tamen grande oblaturus. Noui equidem nec manibus vestris id dignum esse, nec oculis: Tamen oculorum dona sunt, quia LACRYMÆ; sinceri animi testimonia, quia PIÆ. Non aspernaberis, vt opinor, quia familiares TIBI sunt, ac domesticæ. Scio meas hasce lacrymas verecundas esse, lucemque reformidare, sed ad prodeundum eas inuitauit tua inprimis R. Pt. humanitas, quæ inter

summa negotia, etiam minima intueri non renuit. Impulit deinde hic præsens annus à SOCIETATE nostrâ confirmatâ centesimus, quem par est nos cum lacrymis suauissimo gaudio mixtis celebrare, & ad omnem posteritatis memoriam, muneribus litterarijs exornare. Mouit deniq; felicissima Soc.tis IESV gubernatio, cui TV, R.de P. per annos viginti-quinque, hoc est, quartâ huius sæculi parte, inter varias aduersantis fortunæ procellas & turbines, sapiētissimè iuxtà ac prosperrimè præfuisti. His igitur causis prouocatæ hæ LACRYMÆ, ad TVAM Paternitatem adeunt. Sed erit fortasse nonnemo, qui properantibus obsistat, quique inclamet, publicam hilaritatē priuatis lacrymis interturbari. At eas culpâ (si qua hic subesse potest) Tragicus vates absoluit, dum ait,

enec. in hyeste. ste.

Habet & lacrymas magna voluptas.

Ha-

Habet omnino ſed dulces ac teneras, quales & nos hic extremo potiſſimùm libro damus, quibus amaras, velut abſinthium melle temperamus. Sine itaque R.de P. Artaxerxis Perſarum Regis memor, qui oblatas à plebeiâ manu lymphas non recuſauit, ſine inquam has lacrymas, velut ſalutares aquas in conſpectum tuum venire, aut etiam, ſi ita placet, in ſinum tuum influere. Ibi nimirum dulcium lacrymarum ingens eſt copia, quibus vniuerſam Societatem largiſſimè rigas. Conſentaneum eſt profectò, eccleſiaſtæ monitu, ad locum, vnde exierunt flumina reuerti, vt iterum fluant. Fluent verò hæ deinceps etiam vberiùs, ſi ad tuos fontes acceſſerint, Tibiq; non diſplicuerint. Earum nonnullæ amaræ ſunt, fateor, ſed à Te dulcorem haurient, inornatæ ſunt, & incultæ, ſed decorem & ornatum in lacrymis quærere,

superfluum puto. Quare si aliquæ in his maculæ extiterint aut lituræ, *lacrymæ fecere lituras.* Habent tamen in seipsis vnde se eluant. Non audeo nunc, T. R. P. ad grauiora festinantem tenuibus, ac pusillis reculis diutius interpellare. Concludo igitur, Deumque Opt. Max. enixè precor, vt P. V.am tum publico ecclesiæ totius, tum Societatis nostræ bono, diutissimè seruet incolumem. Anno à Christo nato 1640. à Societ. IESV confirmatâ, 100. Huj 12. Martij.

Admodum Reu.da P. Vestræ

minimus in Christo seruus.

CAROLVS WERPÆVS.

Beneuolo Lectori. S. P.

Dabis veniam, vti reor, benigne Lector, si te inter communes Societatis nostræ, de primo iam seculo propemodum completo feliciter gratulantis applausus, inuitem ad lacrymas: Iam pridem inter triumphos Dux noster IESVS flere nos docuit, cum ipsemet in solemni illo in vrbem Hierosolymitanam ingressu, ad eius conspectum, vberem vim lacrymarum effudit. Et sane licet nunc Societati nostræ noua prorsus, & huius ætatis hominibus nunquam recursura lætandi occasio præbeatur, tamen calamitosis hisce temporibus, nos tot ac tanta mala circumstant, vt, nisi ferrei esse velimus, nullo modo possimus sine aliquo mœrore lætari. Multi quidem flent multa, sed præposterè, ridendi potius ipsi, cum ridenda deplorent. Sed hos moros nihil moror, quibus

—— Lacrymæ voluuntur inanes.

Piè lugentibus, pia legentibus, Pias lacrymas propinamus.

Cum autem duo sint præcipui lacrymarum fontes amor, *atq;* dolor, *hic amaras, ille dulces aquas trahat, de quibus, iuxta magni Gregorij mentem, videatur accipiendum illud, Iosue 15.* irriguum inferius, & irriguum superius; *nos tamen hic quatuor*

fontes aperimus, quos non incongruè liceat cum 4. terrestris Paradisi fluminibus comparare. Sicut egregiè declarat R.P. Claudius Aquauiua, Societatis Nostræ P.M. Generalis V. in libro meditat. in psalm. 118. v. 136. in verba illa. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, &c.*

Quod si quis plures, aut pauciores fortasse velit; neutiquam obstabo: libera est cuiuis ad huiusmodi fontes via. Hos ego è multis selegi, ad quos reliqui omnes videntur commodè reuocari posse. Et quidem in hac nostra partitione quadruplici; suprà memoratis insistendo principijs, duos hic potissimum fontes complectimur. Nam 1. 2. & 3. liber, ad fontem doloris reduci facile potest, quartus dulces tantummodò amoris aquas *continet.*

At ne flebiles elegi (quibus lacrymæ maximè gaudent) animum lectoris nimium grauent, sacros rhythmos suis numeris illigatos, singulis libris materiæ de quâ agitur, congruentes, ad aliquod leuamentum, ac varietatem adiungimus. Ne sperne hoc nouum poëmatis genus, beneuole lector, sed potius contra seueriorum censorum supercilia, tuo fauore, atq; ea, qua vales, auctoritate defende. Satis siquidem superq; notum esse animaduertis omnia rhythmo, harmoniaq; gaudere.

gaudere, cœlos suspicimus? omnes ordinatissimâ ratione vertuntur ad numerum. Terras? verbo, orbẽ vniuersum circumspicimus? an non vbiq; omnia cõstant suo pondere, numero, mensurâ? *plane; quidni igitur & nos rhythmis, atq; canticis numerosè fluentibus oblectemur?*

Sed mirab eris forsitan me Christum patientem præposuisse nascenti, quippe qui de patiente agam in lib. 1. de nascente in vltimo. Verum scito me amara maluisse præmittere, vt dulcia ad extremum, quod in conuiuijs fieri assolet, reseruarem. His, si lubet, amice Lector fruere, ac vale.

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS.

EGo infrascriptus Soc. IESV in Gallo-Belg.ª Prouincialis facultatem concedo vt liber Elegiarum, cui titulus est Piæ lacrymæ in quatuor fontes seu libros diuisæ, à P. Carolo Werpæo è Societ. IESV conscriptus, eiusdemque Societatis Patrum iudicio approbatus Typis mandetur. Datum Audomari 6. Februarij 1640.

Florentius de Montmorencij.

INDEX

GENERALIS

Eorum, quæ ſequentibus libris continentur.

LIBRO I.

Lacrymæ teneræ ex commiſerationis affectu ortæ, præſertim erga Chriſtum patientem.

LIBRO II.

Lacrymæ amaræ ex dolore peccatorum, &c.

LIBRO III.

Lacrymæ acerbæ ex variis huius vitæ periculis, ærumnis, tentationibus, &c.

LIBRO IV.

Lacrymæ dulces, ex amore in Chriſtum naſcentem, & patriam cœleſtem.

INDEX SPECIALIS.

LIBRO I.

LIBRO II.

LIBRO IV.

PIA-

PIARVM LACRYMARVM FONS

SIVE LIBER I.

ELEGIA PRIMA.

Gaudia huius vitæ lacrymis permixta.

Tendimus in lacrymas, per amarum labimur æquor,
Da veniam cœptis, turba iocoſa, meis.
Quid, metuis lacrymas? eſt quædam flere voluptas;
Excipient luctum gaudia, pone metum.
Pone metum gens mœſta, leui tranſnabimus aurâ
In loca mox fletus compoſitura tuos.
Eſt hic (certa loquor) mundus marę, vita Phaſelus,
Vector homo, ſpes eſt anchora, Tiphys amor:
Sunt lacrymæ fluctus, venti ſuſpiria, lenis
Aura fauor, Zephyris carbaſa tenſa, preces.
Dum puppim vocat aura, notis da lintea: cœli
Regia, ſi ſuperes æquora, portus erit,
Inter Scyllæam rabiem, ſcopuloſque ſonantes,

Saxaque,& insani monstra timenda maris.
Flebimus exiguùm, lóngo ridebimus æuo,
Post *lachrymas risus* dulcior esse solet.
Turpe nec esse putes lacrymas dare; fleuit
IESVS,
Fleuit & elysijs sedibus exul Adam.
Fleuit & *Eua* parens, & ab Eua nata parente
Ad lachrymas facilis postera turba fuit.
Nemo diu felix: vacuos ploratibus annos
Nemo videt, *rarus sol sine nube micat.*
Est aliquid verum: non fingunt omnia vates,
Vera canam, dictis, si lubet, adde fidem:
Vix benè natus erã (mater memorare solebat)
Cum subitò sonuit questibus aura meis.
Vix benè passa diem, largo mox rore natarunt:
Lumina, quæ præsens sindóne tersit anus.
Et quid, ait, teneros, mi pusio lædis ocellos
Fletibus? his potiùs lude crepundiolis.
Lac tibi dat mater, carmen modulabor anile,
Carmine nil motus, nil quoque lacte fui.
Cur lachrymer, quærunt, fœdo cum lugubre vultu.
Aspiciunt cunis vulgus adesse meis.
Vulgus iners, atrum, vulsis deforme capillis,
Horruit aspectu mater, anusque nouo.
Protinus exclamant, procul hinc procul improba turba,
Ite striges, alias sollicitate domos.
Ite, vel extemplò toto ruet impete pugnus,
Hinc fugite & calpe longius & meroë,
Ite, ter ingeminant: verbis nil territa perstat
Effera gens, tetricos ducere nata dies.
Ac prior è turba lacero mœstissimus ore
Edidit abruptâ talia voce, DOLOR.
Niteris incassum genitrix seruare penates,

Omnia sunt curis peruia clausa meis.
Aggredimur cunas, tumulos comitamur & vmbras,
Sors mea, vel medijs viuere funeribus.
Si qui fortè rogas, simus, dabo pauca roganti,
Sum dolor, & comites, turba doloris eunt.
Hic *fracti gemitus, longo hic suspiria tractu*:
Hic lacrymæ, hic rupto pectore *planctus* adest.
Quid reliquos memorem? genus est miserabile nostrum,
Pascimur humanis, stirps odiosa, malis;
Quam procul hinc cernis, soror est *Metanæa*, flagello,
Sueta latus iuuenum tundere, terga senum.
Hæc *dolor*: at contrà mater responsa parabat,
Sed gemitus illam præpediere mei.
Res noua, dum flerem, læto venere volatu
Et faciles risus, & sine veste ioci.
Gaudia præ foribus stabant, iam sistra strepebant,
Fistulaque ætatem fallere prompta meam.
Audijt ista *dolor*: nos hinc expellimur, inquit,
Non benè cum risu nænia nostra quadrat.
Dixit & in tenues euanidus exijt auras
Cum gemituque suo, cum lachrymisq; suis.
Tunc profugo primum cæpi ridere dolore,
Et subiere meas gaudia prima fibras.
Arridebat anus, tremulaque crepundia dextra,
Nescio quos versus emodulata, dabat.
Oscula tum libans, ride puer optime, dixit,
Et lacrymas hilari fronte valere iube.
Sed monet hoc frustrà: *risum* breuis abstulit hora,
Et stetit ad cunas multus, vt ante, *dolor*.

Hæc legis, & rides forsan bona turba: sed audi,
Nomine mutato fabula nostra, tua est.
Discimus à puero, quæ sint elementa doloris,
Omnibus hæc, vitæ ianua prima fuit.
Luditur alternis: certant dolor atq; voluptas,
Inque suas partes ille, vel illa venit.
Hic grauis, illa leuis, plumam plumbumque putares,
Hic manet, alato sed fugit illa pede.
Dumque fugit, stimulos, vt apis, post mella relinquit:
Ah vanum volucri fidere lætitiæ.
Adamidæ miseri lacrymosa in valle moramur,
Manat vbi salsæ copia diues aquæ.
Nascimur in lacrymis, lacrymis consumimus æuum,
In lacrymis morimur, condimur in lacrymis.
Has iterare iuuat: placet hic cælestibus humor,
Cum profecturo diluit imbre nefas.
Flecte igitur, mecum Euigenæ scytha barbarus ille est,
Qui sicco madidas aspicit ore genas.

ELEGIA II.

Breues huius vitæ lacrymas æternis gaudijs compensari.

QVisquis amas placidos æternum ducere soles,
Huc ades, ad superûm gaudia pando viam.
Ibimus inter aquas, lacrymis iter omne madebit,
Aspicies fixas per iuga summa cruces,
Horribiles visu formæ, gladijque, rotæque,
Vinclaque non pauido sunt adeunda pede.

Ne

Ne desponde animum: digna est certamine merces,
Non venit in segnes palma beata manus.
In cliuo labor est, fateor, sudorque, sitisque;
Sed pretium nostri grande laboris erit.
Cantando lenitur iter: nos carmine mixto
Solemur rigidæ tædia longa viæ.
Et licet, & gratum est, lacrymas confundere cantu,
Has quoque cælicolæ nos docuere vices.
Importuna tamen si cantica forte videntur,
Narratu fiet lenior hora meo.
Vrit amor patriæ: patriæ referamus honores,
Exilij euadet sic quoque pœna minor.
Stat procul à nostris regio pulcherrima terris,
Inuia, sed votis sæpe petita meis.
Incolit has latè fortunatissima sedes,
Gens pia, delicijs gens saturata suis.
Purpurei, niueique sedent ex ordine ciues,
Hic ostro, hic gemmis, fulgurat ille rosis.
Mens eadem cunctis, eadem præconia, laudum
Materies eadem, fercula, nectar idem.
Rex idem, lex est eadem, dilectio sola
Lex ibi: lex aulam fœderat illa suam.
Hic sibi lætitiæ proprios fixere penates,
Plausibus æternis atria tota sonant.
Exulat hinc gemitus, lacrymasque in limine primo
Hospitibus cunctis siccat amica manus.
Hic alios soles, hic altera sidera cernes,
Vna manet, noctem non habitura dies.
Temperies æterna soli est: ver occupat annum,
Hic zephyri molles, & sine sente rosæ.
Hic sine fæce merum est, pura hic sine felle voluptas,

Hic sine marte quies, & sine morte vigor.
Nectaris hic riui, lactis quoque flumina currunt,
Et liquido passim melle vireta natant.
Auricomos cuiuis fas hic decerpere fœtus,
Excubat ad fuluas hic draco nullus opes.
Ardua cæsareo placeat si regia cultu,
Et rapiant oculos marmora picta tuos.
Cæsareos vincent radiata palatia postes,
Et suberunt plantis picta asarota tuis.
Omnia stant auro, gemmæ calcantur & aurum:
Quid loquar? immensum est, quod meditamur, opus.
Quidquid vbique illustre, ingens, sublime, decorum,
Continet hoc amplo patria nostra sinu.
Venit in has quondam spectator nobilis oras
Paulus, inassuetum currere doctus iter.
Raptus erat, num mente tamen num corpore nescit;
Sed tamen ad patriæ mœnia raptus erat.
His arcana locis, supra captumque fidemque
Aspicit, & terris dicere visa nequit.
Scilicet humanas vincis, mea patria, laudes,
Dixero cum de te plurima, plura latent.
Quæ patria hæc? inquis. *calum*, comes optime, *calum est*,
Hæc domus immensis deliciosa bonis.
Illuc solliciti per acuta, per ardua rerum
Scandimus, & summis nitimur articulis.
Fallitur (insano iuuenis ne crede Luthero)
Ad superos mollem qui putat esse viam.
Per salebras iter est. lacrymâ est venalis olympus;
Et lacrymis cælum quis malè credat emi?

Si quis erit cæli qui non tangatur amore,
Horreat oppositum, qua trahit orcus, iter.

ELEGIA III.

Breue huius vitæ gaudium, æternis lacrymis commutari.

EST prope cimmerios regio nebulosa recessus,
Horrida, pegaseo defugienda pede.
Infortunatos tellus habet ista colonos,
Qui lacerent diris seque, Deumque probris,
Æthiopes cuncti, monstrosæ noctis alumni,
Pars pice, pars fumo, pars metuenda rogis.
Mens eadem nulli, studijs discordibus omnes
Qua furor, & rabies quemq; tulere, fremunt.
Immortale odium pulso malè regnat amore,
Vnica lex, pœnas hic sine lege pati.
Hic sibi perpetuæ statuere cubilia curæ,
Et rabida hæsurus cum legione dolor.
Hic tremor, hic pallor, gemitus lacrymæque perennes,
Fumidus æternas hic dabit ignis aquas.
Sulphuris hic amnes, piceo cum gurgite mixti,
Non alio est istic fonte leuanda sitis.
Dira loci facies: aquilo vndique, & vndiq; bruma,
Hic cruciat lapsis spina relicta rosis.
Hic mera fæx, perijt puri flos ille lyæi,
Infelix epulas exitus iste manet.
Hic nulli soles, tenuis nec ab æthere fulgor
Omnia nox reducem non habitura diem.
Tēpestas æterna stygem premit: vndiq; fulmen
Imminet, & tonitru væque perenne boat.
Mors sine morte grauis, vita hic est nescia vitę,
Cumque mori cupias, viuere in igne datur.

Omnia

Omnia stant flammis, circumque, infraque, supraque:
Hæret inexhausti lingua stupore mali.
Eheu! quidquid atrox. dirũ, illætabile, mœstũ,
Quidquid acerbum, id totum vnus auernus habet.
Venit in has pariter speculatrix inclyta terras,
Et stetit in medijs, vt Salamandra, rogis.
Prodigium! stygios Christina perambulat ignes,
Ales at illæsum seruat in igne latus.
Hoc duce, perlustrat cunctas ex ordine pœnas,
Nec potis est orbi reddita, visa loqui.
Hoc vnum suspirat, ohe! quæ carceris antra
Vidimus, O dolor! O! dixit, & obticuit.
Nimirum horrificos erebi depingere vultus
Nec calami possunt mille, nec ora loqui,
Nota satis regio hæc; satis hanc sed nemo veretur;
Ah! nimis audaces in mala nostra sumus.
O chaos! ô tristi phlegethon inamabilis vndâ,
O cruciabilibus styx onerosa malis,
Horreo te, remisque procul, velisque facesso,
Qui sapiet, nostræ sit comes ille fugæ.
Quo diuersus abis? fuge tartara, sideris hæres,
Sponte quid in laqueos, & tua damna ruis?
Inter odoratas myrtos, violasque, rosasque,
Per ioca, per veneres, per sata læta peris.
Æternũq; peris: ô quantum improuida, fluxæ
Melle voluptatis, gens tibi fellis emes.
In melius mentem refer, ô delusa iuuentus,
Et ventura, breuis dum finit hora, vide.
Hinc dolor, hinc risus: dolor est, risusque perennis,
Aut hunc, aut illum perpetuare, tuum est,

Fles modo? ridebis, rides modo? flebis: vtrũuis
Elige: sementi par tibi messis erit.
Elige, grande opus est; iactu nam pendet ab vno
Siue perenne bonum, siue perenne malum.

LACRYMÆ CHRISTI SVPER IERVSALEM.

Et cum appropinquaret IESVS ad descensum montis oliueti, videns ciuitatem, fleuit super illam. Lucæ 19.

ELEGIA IV.

Christus Iudæis ingratis beneficia sua lacrymabundus exponit.

TE video, & lacrymor: sic sæpe videbere nobis,
O nimis à vero nomine versa, salem.
Vndique festiuum populo pæana canente,
Est aliquid lacrymas posse mouere Deo.
Et nisi iure moues: quis enim te lumine sicco
Iam tua prospiciens fata, videre queat?
Te placido vultu mallem spectare, placeres,
Et modò si me vis nosse, placere potes.
At si me rigido flentem nunc despicis ore,
Pro lacrymis risum, dum patiere, dabo.
Aspice nunc igitur, lacrymas quoque, dum licet, adde;
Nunc bona, post obitum lacryma sera cadit.

Ah!

Ah? importunos moliris turba triumphos,
Non facit ad gemitus musica læta meos.
Ipsa quidem meritò vestes substernis, & herbas,
Et teneris ramos vellis ab arboribus.
Sed melius forsan mecum tua pectora plangas,
Et via de lacrymis vda sit ista tuis.
Et tunicas potiùs, quã palmæ brachia scindas,
Proque comis lauri, sit tibi rapta coma.
Non tamen obstabo: vestrã producite pompã,
Conduplicet ramos dextera, lingua sonos.
Mixta fluet festo cum carmine nænia: fiam
Spectator pompæ flebilis ipse meæ.
Materiem plausus, fateor, mea gesta dedere,
Quæ, licet inuideas mome, negare nequis,
Vna sed è reliquis res est celeberrima: testes
Huius ego quotquot conspicor, esse scio.
Quatuor in tumulo soles, malè, clausus olebat
Lazarus à nostrâ restituendus ope.
Ad tumulum accedo lacrymans, mox, *Lazare*, clamo
Surge, sepulchrales, sic volo, linque domos.
Emicat extemplò, turbâ mirante, sub auras
Et rediuiua nouus permeat ossa vigor.
Fama palæstinas subitò perlabitur vrbes,
Facta canit, veri vix habitura fidem.
Ad sacra mox ingẽs spectacula conuolat agmẽ,
Rumpitur at nostris gens Pharisæa bonis.
De grege tunc aliquis flentẽ me forte videbat;
O quantum, dixit, dum lacrymaret, amat.
Tũc lacrymas expressit amor, nũc exprimit illas
Qui propè plus ipso torquet amore, dolor.
Et quidni doleam? cum me mea patria nosse
Abnuit, & qui sim, quoue parente, rogat.
Qui sim, mille modis dudũ me facta probarunt,
Iam

Iam quoq; me norunt terra fretumq; Deum.
Et tamen abnuitis mihi credere? credite signis,
  Signa dedi numen testificata Dei.
Cum libuit, sicco calcauimus æquora passu,
  Cum libuit, rabidi substitit ira maris.
Potauit versos pubes Galilæa liquores,
  Isthæc prima meæ signa fuere manus.
Pulsa fames, digitos inter crescente polentâ,
  Et stupuit reliquas plebs saturata dapes.
Reddita lux oculis, sublata silentia mutis,
  Aures muneribus nec caruere suis.
Dextera nunc manco, nunc claudo tibia creuit,
  Corpore iussus hydrops cedere, cessit hydrops.
Grãde quid est, cõstat, morbos vel voce fugare,
  Grandius at duræ frangere iura necis.
Fregimus, ex imis manes reuocauimus vmbris,
  Reddidimus luci corpora functa suæ.
Quid? quod ab infessis toties est pulsus Alastor,
  In propriam rursum iussus abire stygem.
Quid memorare iuuat benefacta immensa? furentis
  Inuidiæ seges hæc nempè fuere mihi.
O ingrata salem! post tòt data munera, poscis
  Cur lacrymer? quamuis cæca, videre potes.
Dum fleo, tu rides, dum tundo pectora, pulsas
  Nablia, dum vitam nuncio, fata paras.
Curris in exitium, dum dono spontè salutem,
  Porto lytrum, nemo liber abire cupit.
Damno scelus, sceleri pretiũ tu ponis: olympũ
  Polliceor, nulli sed tamen ille placet.
En quam discordi studio certamus vtrimque,
  Parcite: vos odium, me meus vrit amor.
Cur me odisse lubet, cũ te quoq; læsus amarim,
  Si recolas, odij semina nulla dedi.

Ni dare sit, dare languenti medicamina mundo.
Et nisi, quod quoque te sic amo fortè nocet.
Ah! fletu non digna, meos tamen accipe fletus,
Disce vel ex lacrymis, quid sit amare, meis.

ELEGIA V.

Christus vrbis Ierusalem ruinam, eiusque causam prænuntiat.

O! si nouisses, quæ nunc ego præscius auctor
Haud longis video dissita temporibus.
Si tibi nota dies foret hæc, fœcunda bonorum,
Dicere quam possis, si potiare, tuam.
Cetera si nosses alto suppressa dolore,
Consuleres damnis, vrbs miseranda, tuis.
O vtinam possem vates tibi dexter haberi,
Auspicijs fieres aurea tota meis.
Sed quoniā nostris, malesana, fauoribus obstas,
Aurum tota licet, gemmaque, tota rues.
Illa dies aderit tibi lamentabilis vni,
Quæ faciet verbis pondus inesse meis.
A septemgeminis timeas tibi montibus: inde
(Hæc rata sunt) cladis surget origo tuæ.
Principium horrentis pugnæ, trepidante Sione,
Collis oliuarum, quem modo calco, dabit.
Ille suas pacis testes prætendet oliuas,
Irrita, sed dicet miles, oliua venis.
Protinus ingenti cinget tua mœnia vallo,
Si meditêre fugam, spes tibi nulla fugæ.
Hostis vt abstineat, fluet intra viscera bellum,
Dira fames rabido fortius hoste premet.
Sæuiet exhaustam tristis libitina per vrbem,
Perque domos cernes funera, perque vias.
Flectite vos Solymæ, male pergitis: Æneadum gens
Vincet,

Vincet,& æquabit tecta superba solo.
Hosticus haud vlli parcet vel mucro, vel ignis.
Infula nulla dabit, nulla securis opem:
Cum grege nobilitas busto condetur eodem.
Vrbique sibi tumulus, quam modo flemus, erit.
Postulat has spreti *Messiæ* iniuria pœnas,
Qui modò seruator, post grauis vltor ero.
Euigila tandem Solyme, tua funera mecum
Vel geme, perspectis vel resipisce malis.
En *Tuus* aduenio, fatorum ex ordine *Christus*,
Christus ab antiquis iam tibi sponsus auis.
Omnia priscorum scrutare oracula vatum
Discrepat à veri nil mea vita fide.
Si quod fatidici complendum vatis iöta
Restat adhuc: nullus, crede, peribit apex.
Addoides quiddam præsagâ mente profatur,
Quod modò compleri nescia turba videt.
Læta canit vates, vos læta audite canentem,
Et date promeritum, quod petit ille, melos.
Plaude Sion, tuus ecce venit *rex mitior agno*,
Ille, cui *Iusti* nomina. *Plaude Sion*,
Optatæ toties venit dator ille salutis,
Et benè: depositâ namque salute iaces.
Ne metuas, humili non aspernandus amictu
Obsequijs populos detinet ille suis.
Non rutilus gemmis, tyrio nec splendidus ostro
Fertur in auratis, plebe fauente, rotis.
Bellua non illum dorso getula superbo
Deuehit, aut gibbus, celse camele, tuus.
Simplicitas illi cara est: hinc simplice cultu
Gaudet, & Attalicas despicit induuias.

Ille(nouæ ſpecies pompæ) deuectus aſello
Pro phaleris tunicas,loraque parua tenet.
Hæc eſt *Meſſiæ* ſolymam ingredientis imago.
Ecquid ab antiqui carmine vatis abeſt?
Si benè peruideas æuo prædicta priori,
Me *Regem* clamant ſingula facta *tuum*.
Rex ego ſum fateor , regem quoque turba fatetur,
Rex ego,ſed vereor ne neger eſſe tuus.
Et tamen eſſe *tuus* dicar, licet vſque repugnes,
Hunc titulum nobis *Crux* properanda feret.
Ergo tuus venio:iubet hoc te credere vatum
Turba,iubet ſummi vox quoq; miſſa Patris.
Tu tamen,O Solyme,venientem barbara ſpernis,
Nec credis, regni dem niſi ſigna mei.
Crede,dabo:trepidate rei,iam iure timendum eſt.
Nam mihi pro ſceptro ferrea virga datur.
Fortiter hac vtar, niſi vis data tempora noſſe,
Quæ tamen à brutis edidiciſſe potes.
Quid?reditum norit formoſi veris hirundo,
Et ſua turturibus ſit benè nota dies?
Hibernos fugiat peregrina ciconia ſaltus,
Et ſciat æſtiuâ quæ flagret ora face?
Threiciæ volucres cum frigore ſtrymona linquant,
Et Phariæ repetant littora cara plagæ.
Quid?*Dominum* quondam me bos , me norit aſellus,
Cum tener in cunis,& ſine voce forem.
Et meus , ô probrum ! populus,me noſſe recuſet?
Imò Crucem meritis apparet ille meis.
I nunc quære tui cauſas, vrbs impia,fati,

Rex

Rex tuus abiectus, tota ruina tua est.
Ecce sed indignæ dum defleo damna *Sionis*;
Venimus ad portas, vrbs peritura, tuas.
Attamen hic lacrymas necdum consumpsimus omnes,
Hoc tibi, quod reliquum est, sub mea fata dabo.

LACRYMÆ
S. CAROLI BORROMÆI,
Primam Passionis IESV Christi partem, ac præsertim eius flagellationem contemplantis.

ARGVMENTVM.

S. Carolus Borromæus *Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis, solitus quotannis in solitudinem à curis strepituque semotam, sibi ac Deo vacaturus secedere, sub extremum vitæ tempus, montem Varallum ad id maximè idoneum elegit, ob varia ibidem sacella*, Christi patientis *mysterijs illustria, & mira religione visenda. Ex hoc igitur monte sanctissimus Præsul, animo Hierosolymam rapitur ad spectandam propius Christi Passionem. Eum, benignè Lector, si lubet ocyus comitare, ecce iam prauolat, in hac verba prorumpens.*

ELEGIA VI.

S. Carolus quærit Christum per diuersa loca patientem, eumque reperit, dum ab Herode ad Pilatum ducitur.

Evocor ad Solymas: collis dilecte Varalli,
Mente pererrabo dum loca sacra, vale.
Hic hodie dabitur miseranda tragædia: qualis
Nec data, nec terris secla futura dabunt.
Hic *Christus Patiens* tota spectabitur vrbe,
Hic oculos ferient multa dolenda meos.
Serius aduenio: siñe me pars dramatis acta est.
Maxima: circuitus causa fuere moræ.
Namq; ego dum certa *Iesum* statione requiro,
Iam meus ex illa sede migrarat *Amor*.
Getsemani colles, vicinaque collibus arua
Visimus, at domino collis & arua carent.
Gaudet amans hortis, sed *amans* iam liquerat hortos,
Quæque illic reperit poma, doloris erant.
Sanguineis tamen hic rorantia gramina guttis,
Prataque de lacrymis humida, *Christe*, tuis,
Quin etiam silices, & saxa rubentia vidi:
Basia mox saxis, graminibusque ferens,
Felices herbæ, felicia marmora, dixi,
De *Domini* pretium sanguine nacta mei.
O vtinam tali sim tellus ebria succo!
Cur liquor in silices tam pretiosus ijt?
Hæc vbi dicta: celer valles delabor in imas,

Amnis at in curuâ valle moratur iter.
Mox geminum mœstus circumfero lumen in orbem,
Et vagâ sollicito littora lustro pede.
Turbidus en *Cedron* pleno caput extulit alueo,
Visus & hæc rauco dicere verba sono.
Anxie, forte tuum quæris *Lustrator Iesum*?
Transijt, & latices iam bibit ille meos.
Paruus eram, facilique vado transire licebat,
Dum mea *captiuus flumina, Christus init.*
Ipse trahebatur manibus post terga reuinctis,
Multus in exhausto corpore sudor erat.
Carnifices inter dextra læuaque frementes
Ibat, in opposita lumina fixus humo.
Ingemui, sociosque amnes ad fata vocaui,
Mox liquido lymphæ prosiliere pede.
Ipse suas *Libanus*, collis quoque diues oliuis,
Ipse suas æther suppeditauit aquas.
Protinus increui missis animosior vndis,
Fusius hinc vasti fluminis instar eo.
Hos ego, vel similes debebam voluere fluctus,
Cum *Iesum* raperet gens furiosa tuum.
Segniter haud vsus, limphâ indignante fuissem,
Hausissem rapidis arma virosque vadis.
Sed qui non renuit fanda atque infanda subire,
Tunc tenui fontes currere iussit aqua.
Hæc mihi tunc *Cedron* saxisque vndisque, timendus
Dixit, & in tumido condidit amne caput.
Quid faciam? nostris torrẽs conatibus obstas,
Si tibi cura mei, siste parumper aquas.
Non rota, nõ pennæ, nõ est mihi cymba, terẽda

Hæc legis, & rides forsan bona turba: sed audi,
Nomine mutato fabula nostra, tua est.
Discimus à puero, quæ sint elementa doloris,
Omnibus hæc vitæ ianua prima fuit.
Luditur alternis; certant dolor atq; voluptas,
Inque suas partes ille, vel illa venit.
Hic grauis, illa leuis, plumam plumbumque putares,
Hic manet, alato sed fugit illa pede.
Dumque fugit, stimulos, vt apis, post mella relinquit.
Ah vanum volucri fidere lætitiæ.
Adamidæ miseri lacrymosa in valle moramur,
Manat vbi salsæ copia diues aquæ.
Nascimur in lacrymis, lacrymis consumimus æuum,
In lacrymis morimur, condimur in lacrymis.
Has iterare iuuat: placet hic cælestibus humor,
Cum profecturo diluit imbre nefas.
Flecte igitur, mecum Euigenæ scytha barbarus ille est,
Qui sicco madidas aspicit ore genas.

ELEGIA II.

Breues huius vitæ lacrymas æternis gaudijs compensari.

QVisquis amas placidos æternum ducere soles,
Huc ades, ad superûm gaudia pando viam.
Ibimus inter aquas, lacrymis iter omne madebit,
Aspicies fixas per iuga summa cruces.
Horribiles visu formæ, gladijque, rotæque,
Vinclaque non pauido sunt adeunda pede.

Ne

Ne desponde animum: digna est certamine merces,
Non venit in segnes palma beata manus.
In cliuo labor est, fateor, sudórque, sitisque;
Sed pretium nostri grande laboris erit.
Cantando lenitur iter: nos carmine mixto
Solemur rigidæ tædia longa viæ.
Et licet, & gratum est, lacrymas confundere cantu,
Has quoque cælicolæ nos docuere vices.
Importuna tamen si cantica forte videntur,
Narratu fiet lenior hora meo.
Vrit amor patriæ: patriæ referamus honores,
Exilij euadet sic quoque pæna minor.
Stat procul à nostris regio pulcherrima terris,
Inuia, sed votis sæpe petita meis.
Incolit has latè fortunatissima sedes,
Gens pia, delicijs gens saturata suis.
Purpurei, niueique sedent ex ordine ciues,
Hic ostro, hic gemmis, fulgurat ille rosis.
Mens eadem cunctis, eadem præconia, laudum
Materies eadem, fercula, nectar idem.
Rex idem, lex est eadem, dilectio sola
Lex ibi: lex aulam fœderat illa suam.
Hic sibi lætitiæ proprios fixere penates,
Plausibus æternis atria tota sonant.
Exulat hinc gemitus, lacrymasque in limine primo
Hospitibus cunctis siccat amica manus.
Hic alios soles, hic altera sidera cernes,
Vna manet, noctem non habitura dies.
Temperies æterna soli est: ver occupat annum,
Hic zephyri molles, & sine sente rosæ.
Hic sine fæce merum est, pura hic sine felle voluptas,

Hic sine marte quies, & sine morte vigor.
Nectaris hic riui, lactis quoque flumina currunt,
Et liquido passim melle vireta natant.
Auricomos cuiuis fas hic decerpere fœtus,
Excubat ad fuluas hic draco nullus opes.
Ardua cæsareo placeat si regia cultu,
Et rapiant oculos marmora picta tuos.
Cæsareos vincent radiata palatia postes,
Et suberunt plantis picta asarota tuis.
Omnia stant auro, gemmæ calcantur & aurum:
Quid loquar? immensum est, quod meditamur, opus.
Quidquid vbique illustre, ingens, sublime, decorum,
Continet hoc amplo patria nostra sinu.
Venit in has quondam spectator nobilis oras
Paulus, inassuetum currere doctus iter.
Raptus erat, num mente tamen num corpore nescit;
Sed tamen ad patriæ mœnia raptus erat.
His arcana locis, supra captumque fidemque
Aspicit, & terris dicere visa nequit.
Scilicet humanas vincis, mea patria, laudes,
Dixero cum de te plurima, plura latent.
Quæ patria hæc? inquis. *cælum*, comes optime, *cælum est*,
Hæc domus immensis deliciosa bonis.
Illuc solliciti per acuta, per ardua rerum
Scandimus, & summis nitimur articulis.
Fallitur (insano iuuenis ne crede Luthero)
Ad superos mollem qui putat esse viam.
Per salebras iter est. lacrymâ est venalis olympus;
Et lacrymis cælum quis malè credat emi?

Si quis erit cæli qui non tangatur amore,
Horreat oppositum, qua trahit orcus, iter.

ELEGIA III.

Breue huius vitæ gaudium, æternis lacrymis commutari.

EST prope cimmerios regio nebulosa recessus,
Horrida, pegaseo defugienda pede.
Infortunatos tellus habet ista colonos,
Qui lacerent diris seque, Deumque probris,
Æthiopes cuncti, monstrosæ noctis alumni,
Pars pice, pars fumo, pars metuenda rogis.
Mens eadem nulli, studijs discordibus omnes
Qua furor, & rabies quemq; tulere, fremunt.
Immortale odium pulso malè regnat amore,
Vnica lex, pœnas hic sine lege pati.
Hic sibi perpetuæ statuere cubilia curæ,
Et rabida hæsurus cum legione dolor.
Hic tremor, hic pallor, gemitus lacrymæque perennes,
Fumidus æternas hic dabit ignis aquas.
Sulphuris hic amnes, piceo cum gurgite mixti,
Non alio est istic fonte leuanda sitis.
Dira loci facies: aquilo vndique, & vndiq; bruma,
Hic cruciat lapsis spina relicta rosis.
Hic mera fæx, perijt puri flos ille lyæi,
Infelix epulas exitus iste manet.
Hic nulli soles, tenuis nec ab æthere fulgor
Omnia nox reducem non habitura diem.
Tēpestas æterna stygem premit: vndiq; fulmen
Imminet, & tonitru væque perenne boat.
Mors sine morte grauis, vita hic est nescia vitę,
Cumque mori cupias, viuere in igne datur.

Omnia stant flammis, circumque, infraque, supraque:
Hæret inexhausti lingua stupore mali.
Eheu! quidquid atrox. dirũ, illætabile, mœstũ,
Quidquid acerbum, id totum vnus auernus habet.
Venit in has pariter speculatrix inclyta terras.
Et stetit in medijs, vt Salamandra, rogis.
Prodigium! stygios Christina perambulat ignes,
Ales at illæsum seruat in igne latus.
Hoc duce, perlustrat cunctas ex ordine pœnas,
Nec potis est orbi reddita, visa loqui.
Hoc vnum suspirat, ohe! quæ carceris antra
Vidimus, O dolor! O! dixit, & obticuit.
Nimirum horrificos erebi depingere vultus
Nec calami possunt mille, nec ora loqui,
Nota satis regio hæc, satis hanc sed nemo veretur;
Ah! nimis audaces in mala nostra sumus.
O chaos! ô tristi phlegethon inamabilis vndâ,
O cruciabilibus styx onerosa malis,
Horreo te, remisque procul, velisque facesso,
Qui sapiet, nostræ sit comes ille fugæ.
Quo diuersus abis? fuge tartara, sideris hæres,
Sponte quid in laqueos, & tua damna ruis?
Inter odoratas myrtos, violasque, rosasque,
Per ioca, per veneres, per sata læta petis.
Æternũq; peris: ô quantum improuida, fluxæ
Melle voluptatis, gens tibi fellis emes.
In melius mentem refer, ô delusa iuuentus,
Et ventura, breuis dum finit hora, vide.
Hinc dolor, hinc risus: dolor est, risusque perennis,
Aut hunc, aut illum perpetuare, tuum est,

Fles modo? ridebis, rides modo? flebis: vtrũuis
Elige: sementi par tibi messis erit.
Elige, grande opus est; iactu nam pendet ab vno
Siue perenne bonum, siue perenne malum.

LACRYMÆ CHRISTI SVPER IERVSALEM.

Et cum appropinquaret IESVS ad descensum montis oliueti, videns ciuitatem, fleuit super illam. Lucæ, 19.

ELEGIA IV.

Christus Iudæis ingratis beneficia sua lacrymabundus exponit.

TE video, & lacrymor: sic sæpe videbere nobis,
O nimis à vero nomine versa, salem.
Vndique festiuum populo pæana canente,
Est aliquid lacrymas posse mouere Deo.
Et nisi iure moues: quis enim te lumine sicco
Iam tua prospiciens fata, videre queat?
Te placido vultu mallem spectare, placeres,
Et modò si me vis nosse, placere potes.
At si me rigido flentem nunc despicis ore,
Pro lacrymis risum, dum patiere, dabo.
Aspice nunc igitur, lacrymas quoque, dum licet, adde;
Nunc bona, post obitum lacryma sera cadit.

Ah? importunos moliris turba triumphos,
Non facit ad gemitus musica læta meos.
Ipsa quidem meritò vestes substernis, & herbas,
Et teneris ramos vellis ab arboribus.
Sed melius forsan mecum tua pectora plangas,
Et via de lacrymis vda sit ista tuis.
Et tunicas potiùs, quã palmæ brachia scindas,
Proque comis lauri, sit tibi rapta coma.
Non tamen obstabo: vestrã producite pompã,
Conduplicet ramos dextera, lingua sonos.
Mixta fluet festo cum carmine nænia: fiam
Spectator pompæ flebilis ipse meæ.
Materiem plausus, fateor, mea gesta dedere,
Quæ, licet inuideas mome, negare nequis,
Vna sed è reliquis res est celeberrima: testes
Huius ego quotquot conspicor, esse scio.
Quatuor in tumulo soles, malè, clausus olebat
Lazarus à nostrâ restituendus ope.
Ad tumulum accedo lacrymans, mox, *Lazare*, clamo
Surge, sepulchrales, sic volo, linque domos.
Emicat extemplò, turbâ mirante, sub auras
Et rediuiua nouus permeat ossa vigor.
Fama palæstinas subitò perlabitur vrbes,
Facta canit, veri vix habitura fidem.
Ad sacra mox ingẽs spectacula conuolat agmẽ,
Rumpitur at nostris gens Pharisæa bonis.
De grege tunc aliquis flentẽ me forte videbat;
O quantum, dixit, dum lacrymaret, amat.
Tũc lacrymas expressit amor, nũc exprimit illas
Qui propè plus ipso torquet amore, dolor.
Et quidni doleam? cum me mea patria nosse
Abnuit, & qui sim, quoue parente, rogat.
Qui sim, mille modis dudũ me facta probarunt,
Iam

Iam quoq; me norunt terra fretumq; Deum.
Et tamen abnuitis mihi credere? credite signis,
Signa dedi numen testificata Dei.
Cum libuit, sicco calcauimus æquora passu,
Cum libuit, rabidi substitit ira maris.
Potauit versos pubes Galilæa liquores,
Isthæc prima meæ signa fuere manus.
Pulsa fames, digitos inter crescente polentâ,
Et stupuit reliquas plebs saturata dapes.
Reddita lux oculis, sublata silentia mutis,
Aures muneribus nec caruere suis.
Dextera nunc manco, nunc claudo tibia creuit,
Corpore iussus hydrops cedere, cessit hydrops.
Grãde quid est, cõstat, morbos vel voce fugare,
Grandius at duræ frangere iura necis.
Fregimus, ex imis manes reuocauimus vmbris,
Reddidimus luci corpora functa suæ.
Quid? quod ab insessis toties est pulsus Alastor,
In propriam rursum iussus abire stygem.
Quid memorare iuuat benefacta immensa? furentis
Inuidiæ seges hæc nempè fuere mihi.
O ingrata salem! post tòt data munera, poscis
Cur lacrymer? quamuis cæca, videre potes.
Dum fleo, tu rides, dum tundo pectora, pulsas
Nablia, dum vitam nuncio, fata paras.
Curris in exitium, dum dono spontè salutem,
Porto lytrum, nemo liber abire cupit.
Damno scelus, sceleri pretiũ tu ponis: olympũ
Polliceor, nulli sed tamen ille placet.
En quam discordi studio certamus vtrimque,
Parcite: vos odium, me meus vrit amor.
Cur me odisse lubet, cũ te quoq; læsus amarim,
Si recolas, odij semina nulla dedi.

Ni dare sit, dare languenti medicamina mundo.
Et nisi, quod quoque te sic amo fortè nocet.
Ah! fletu non digna, meos tamen accipe fletus,
Disce vel ex lacrymis, quid sit amare, meis.

ELEGIA V.

Christus vrbis Ierusalem ruinam, eiusque causam prænuntiat.

O! si nouisses, quæ nunc ego præscius auctor
Haud longis video dissita temporibus.
Si tibi nota dies foret hæc, fœcunda bonorum,
Dicere quam possis, si potiare, tuam.
Cetera si nosses alto suppressa dolore,
Consuleres damnis, vrbs miseranda, tuis.
O vtinam possem vates tibi dexter haberi,
Auspicijs fieres aurea tota meis.
Sed quoniã nostris, malesana, fauoribus obstas,
Aurum tota licet, gemmaque, tota rues.
Illa dies aderit tibi lamentabilis vni,
Quæ faciet verbis pondus inesse meis.
A septemgeminis timeas tibi montibus; inde
(Hæc rata sunt) cladis surget origo tuæ.
Principium horrentis pugnæ, trepidante Sione,
Collis oliuarum, quem modo calco, dabit.
Ille suas pacis testes prætendet oliuas,
Irrita, sed dicet miles, oliua venis.
Protinus ingenti cinget tua mœnia vallo,
Si meditêre fugam, spes tibi nulla fugæ.
Hostis vt abstineat, fluet intra viscera bellum,
Dira fames rabido fortius hoste premet.
Sæuiet exhaustam tristis libitina per vrbem,
Perque domos cernes funera, perque vias.
Flectite vos Solymæ, male pergitis: Æneadum gens
Vincet,

Vincet, & æquabit tecta superba solo.
Hosticus haud vlli parcet vel mucro, vel ignis.
Infula nulla dabit, nulla securis opem:
Cum grege nobilitas busto condetur eodem.
Vbique sibi tumulus, quam modo flemus, erit.
Postulat has spreti *Messiæ* iniuria pœnas,
Qui modò seruator, post grauis vltor ero.
Euigila tandem solyme, tua funera mecum
Vel geme, perspectis vel resipisce malis.
En *Tuus* aduenio, fatorum ex ordine *Christus*,
Christus ab antiquis iam tibi sponsus auis.
Omnia priscorum scrutare oracula vatum
Discrepat à veri nil mea vita fide.
Si quod fatidici complendum vatis יוֹטָא
Restat adhuc: nullus, crede, peribit apex.
Addoides quiddam præsagâ mente profatur,
Quod modò compleri nescia turba videt.
Læta canit vates, vos læta audite canentem,
Et date promeritum, quod petit ille, melos.
Plaude Sion, tuus ecce venit *rex mitior agno*,
Ille, cui *Iusti* nomina. *Plaude Sion*,
Optatæ toties venit dator ille salutis,
Et benè: depositâ namque salute iaces.
Ne metuas, humili non aspernandus amictu
Obsequijs populos detinet ille suis.
Non rutilus gemmis, tyrio nec splendidus ostro
Fertur in auratis, plebe fauente, rotis.
Bellua non illum dorso getula superbo
Deuehit, aut gibbus, celse camele, tuus.
Simplicitas illi cara est: hinc simplice cultu
Gaudet, & Attalicas despicit induuias.

Ille(nouæ species pompæ) deuectus asello
Pro phaleris tunicas, loraque parua tenet.
Hæc est *Messiæ* Solymam ingredientis imago,
Ecquid ab antiqui carmine vatis abest?
Si benè peruideas æuo prædicta priori,
Me *Regem* clamant singula facta *tuum*.
Rex ego sum fateor, regem quoque turba fatetur,
Rex ego, sed vereor ne neger esse tuus.
Et tamen esse *tuus* dicar, licet vsque repugnes,
Hunc titulum nobis *Crux* properanda feret.
Ergo tuus venio: iubet hoc te credere vatum
Turba, iubet summi vox quoq; missa Patris.
Tu tamen, O Solyme, venientem barbara spernis,
Nec credis, regni dem nisi signa mei.
Crede, dabo: trepidate rei, iam iure timendum est.
Nam mihi pro sceptro ferrea virga datur.
Fortiter hac vtar, nisi vis data tempora nosse,
Quæ tamen à brutis edidicisse potes.
Quid? reditum norit formosi veris hirundo,
Et sua turturibus sit benè nota dies?
Hibernos fugiat peregrina ciconia saltus,
Et sciat æstiuâ quæ flagret ora face?
Threiciæ volucres cum frigore strymona linquant,
Et Phariæ repetant littora cara plagæ.
Quid? *Dominum* quondam me bos, me norit asellus,
Cum tener in cunis, & sine voce forem.
Et meus, ô probrum! populus, me nosse recuset?
Imò Crucem meritis apparet ille meis.
I nunc quære tui causas, vrbs impia, fati,

Rex

Rex tuus abiectus, tota ruina tua est.
Ecce sed indignæ dum defleo damna *Sionis*;
Venimus ad portas, vrbs peritura, tuas.
Attamen hic lacrymas necdum consumpsimus omnes;
Hoc tibi, quod reliquum est, sub mea fata dabo.

LACRYMÆ S. CAROLI BORROMÆI,

Primam Passionis IESV Christi partem, ac præsertim eius flagellationem contemplantis.

ARGVMENTVM.

S. Carolus Borromæus *Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis, solitus quotannis in solitudinem à curis strepituque semotam, sibi ac Deo vacaturus secedere, sub extremum vitæ tempus, montem Varallum ad id maximè idoneum elegit, ob varia ibidem sacella*, Christi patientis *mysteriis illustria, & mira religione visenda. Ex hoc igitur monte sanctissimus Præsul, animo Hierosolymam rapitur ad spectandam propius Christi Passionem. Eum, benignè Lector, si lubet ocyus comitare, ecce iam prauolat, in hac verba prorumpens.*

ELEGIA VI.

S. Carolus quærit Christum per diuersa loca patientem, eumque reperit, dum ab Herode ad Pilatum ducitur.

EVocor ad solymas: collis dilecte Varalli,
Mente pererrabo dum loca sacra, vale.
Hic hodie dabitur miseranda tragædia: qualis
Nec data, nec terris secla futura dabunt.
Hic *Christus Patiens* tota spectabitur vrbe,
Hic oculos ferient multa dolenda meos.
Serius aduenio: sine me pars dramatis acta est
Maxima: circuitus causa fuere moræ.
Namq; ego dum certa *Iesum* statione requiro,
Iam meus ex illa sede migrarat *Amor*.
Gessemani colles, vicinaque collibus arua
Visimus, at domino collis & arua carent.
Gaudet amans hortis, sed *amans* iam liquerat hortos,
Quæque illic reperit poma, doloris erant.
Sanguineis tamen hic rorantia gramina guttis,
Prataque de lacrymis humida, *Christe*, tuis,
Quin etiam silices, & saxa rubentia vidi:
Basia mox saxis, graminibusque ferens,
Felices herbæ, felicia marmora, dixi,
De *Domini* pretium sanguine nacta mei.
O vtinam tali sim tellus ebria succo!
Cur liquor in silices tam pretiosus ijt?
Hæc vbi dicta: celer valles delabor in imas,

Amnis

Amnis at in curuâ valle moratur iter.
Mox geminum mœstus circumfero lumen in orbem,
Et vagâ sollicito littora lustro pede.
Turbidus en *Cedron* pleno caput extulit alueo,
Visus & hæc rauco dicere verba sono.
Anxie. forte tuum quæris *Lustrator Iesum*?
Transijt, & latices iam bibit ille meos.
Paruus eram, facilique vado transire licebat,
Dum mea *captiuus flumina, Christus init.*
Ipse trahebatur manibus post terga reuinctis,
Multus in exhausto corpore sudor erat.
Carnifices inter dextra læuaque frementes
Ibat, in oppositâ lumina fixus humo.
Ingemui, sociosque amnes ad fata vocaui,
Mox liquido lymphæ prosiliere pede.
Ipse suas *Libanus*, collis quoque diues oliuis,
Ipse suas æther suppeditauit aquas.
Protinus increui missis animosior vndis,
Fusius hinc vasti fluminis instar eo.
Hos ego, vel similes debebam voluere fluctus,
Cum *Iesum* raperet gens furiosa tuum.
Segniter haud vsus, lymphâ indignante fuissem,
Hausissem rapidis arma virosque vadis,
Sed qui non renuit fanda atque infanda subire,
Tunc tenui fontes currere iussit aqua.
Hæc mihi tunc *Cedron* saxisque vndisque, timendus
Dixit, & in tumido condidit amne caput.
Quid faciam? nostris torrēs conatibus obstas,
Si tibi cura mei, siste parumper aquas.
Non rota, nō pennæ, nō est mihi cymba, terēda

Et tamen est plantis altera ripa meis.
Hic dum multa gemens, lacrymas in littore fundo,
Non expectatam præbuit ales opem.
Trans vada Cedronis geminis me sustulit alis,
I bone, nil, inquit, quod lacrymeris habet.
Transijmus: manifesta via est, quæ ducit in vrbem,
Quæ modò vesani feruet vt vnda maris.
Dum tu cū modico trepidus torrente laboras,
Christus in immenso voluitur oceano.
I celer & medias dilectum quære per vndas,
Vt properes, certè iam propè mersus erit.
Dixit & extemplò celeri velocius euro
Euolat æthereâ celsus in astra viâ.
Obstupui, cæloque manus cum voce tetendi,
Huius opis nunquam non memor, ales, ero.
Obseruata diem *Domini* vestigia lustro,
Signatus multo sanguine trames erat.
Huc propero, ceu nare sagax, si senserit, instat
Mænalius lepori per iuga summa canis.
Accedo solymas, solymas ardere putares,
Finitimâ tantus clamor in vrbe fuit.
Dum subeo muros, vigilū globus obuius exit,
Et simul audaci, quo ferar, ore rogat,
Ad solymas, inquam, venio sectator IESV.
Dicite, quâ tandem nunc regione latet?
Hunc ego per montes dudum vallesq; requiro,
Hunc neq; sed mōtes, hūc neq; vallis habet.
Hîc aliquis IESV sortem miseratus iniquam,
Quem petis, hæc intra mænia clausus, ait.
Raptus ad Annæos hesternâ nocte penates,
Raptus & ad Caipham, plebe furente, fuit.
Quis tibi concursus populi fando explicet? omnis

In spe-

In ſpeculis ſolyme, cum raperetur, erat.
Quæ modo pertulerit pernox ad vtrumque tribunal,
Si vacat, oſtendet lux hodierna tibi.
Iam quoq; *Pilati* funeſtum limen adiſſe
Fertur, & *Herodis* ſuſtinuiſſe iocos.
Excitus his, medio vigilem ſermone relinquo,
Et ſequor in varias compita ſecta vias.
Confuſo fremitu plateæq; viæq; ſonabant,
Inde frequens plebes, inde ruebat eques.
Poſcere nil opus eſt tanti quæ cauſa tumultus;
Me miſeram! totâ luditur vrbe *Deus*,
Ipſe *Deus*, *Deus* humanâ ſub imagine captus;
Sic mihi quæſitus, ſicq; repertus *Amor*.
Hei mihi! qualis erat! liuebant lumina pugnis
Oraque ſacrilegâ ſaucia facta manu,
Sputorum illuuiæ facies formoſa latebat;
Ah! facies oculos nata tenere meos.
Cæſarie lacerâ, verſis per colla catenis,
Opprobrium populi ludificantis erat.
Candida virgineos augebat palla rubores;
Palla theatrales apta mouere iocos,
Sic vbi mutatum vidi gemebundus *Ieſum*,
Vt nati genitrix icta dolore, feror.
Tento aditũ, propiuſq; pedes conferre laboro;
Impedit acceſſum barbara turba meum.
Ergo inter vulgi conferta examina mixtus
Tollor, ad vſq; tuos, præſes inique, lares.
Siſteris hîc iterum *Ieſu* patientior agno,
Hic patet in pœnas area lata tuas.

ELEGIA VII.

Denudatur Christus iussu à Pilato flagellari.

QVænam istæc patria est? quæ leges? quale tribunal?
Quæ facies *Ponti*? quod scelus ille parat?
Quæ flagra, qui sentes, scuticæque, immaniaque arma?
Qualis ad inuisum lecta columna, nefas?
Quam densis hominum concursibus atria feruent!
Rarus in hoc populo, qui misereſcat, erit.
Tene ego conspicio turbâ, pie sponsor, in istâ?
Quàm locus à meritis dissidet ille tuis!
In quos, seruator dilecte, incurrimus hostes?
Quam grauis insontem te laniena manet!
Non erat ergo satis TE præsudasse cruorem;
Et colaphos fractis sustinuisse genis?
Vinculaq; & sannas, & publica probra tulisse:
Ad flagra barbaricis ni raperere modis?
Non erat: ô *Ponti* vox detestabilis! eia
Miles, ait: *Iesum* corripe, tunde flagris.
Vapulet? est insons: licet insons vapulet inquit:
Sic tumidas forsân ponet Apella minas.
Hei mihi! præcipiti ruit impia turba tumultu,
Sæua manu, visu flammea, voce ferox.
O tragicum facinus! medius raptaris, *Iesu*
Raptari teneræ te finis instar ouis.

Quo-

Quoque minus pugnas, magis & magis infremit hostis:
Scilicet his animos tanta rapina facit.
Cōtinuò exclamat, reliquis truculētior vnus,
Ausonidis pœnas, ô scelerate, dabis.
Et dabis hac dextrâ: dum talibus intonat, *Albam*
Detrahit, *Herodes* quam dedit ante, *togam*.
Altera dum superest fortassis, & altera vestis.
Has quoque mirmillo, sic iubet ira rapit.
Tum raptas mediâ sparsim tellure volutat
Quas benè posteritas relligiosa colet.
Interea toto nudatus corpore restat
Qualis erat, primum dum stetit orbis, *Adā*.
Nudus adest, qui flore solum, qui lumine solē,
Qui cælum pingit sidere, nudus adest.
Qui seres bombyce, Tyron qui murice ditat,
Cui sua vestis erat gloria, nudus adest.
Nudus ades? fallor, tibi nam pulcherrima vestis,
Vel tuus ille rubor, vel cruor esse potest.
Vnde sed in niueo pudor hic exuberat ore?
Ah! rubor è culpis prouenit ille meis.
Nudus *Adam* vestem *Christo* detraxit, & inde
Noster in ipsius transijt ora pudor.
Conde diem Titan, radijs vel contege *Christum*;
Aut tenebras pudor hic postulat, aut radios.
Sed quid ego radios posco, vel posco tenebras?
Nonne sat est, sacro quod micat ore iubar?
Corporis hæc species nitidissima, barbare miles,
Debuerat vultus iure mouere tuos

Sed furor, & rabies tibi clausit lumina, flecti.
Ne viso posses corpore, cæcus eras.

ELEGIA VIII.

Alligatur Christus ad columnam, cæduntur humeri.

ERgone credibile est? fœde insultante popello,
Ante cruentorum lumina carnificum
(Terra paue, trepidate poli, simul omnia mundi
Claustra tonent, fractis vndiq; cardinibus)
Nudus ad immanem vinciris, *Christe*, Columnam,
Quæque alijs potis es soluere, vincla subis.
Non benè cum rigido stant membra tenerrima saxo,
Non benè *libertas* fune reuincta iacet.
Soluite, dum pius est, & adhuc sine crimine funis,
Dum licet, intactas hinc reuocate manus.
Nitimur incassum: monitus furor ille recusat,
Vix benè sedandus, cum satiatus erit.
Ergo truces animæ loris seruilibus aptant
Brachia: vah! quantum sanguinis illa bibent!
Horreo: vulnificos iam dextera pēdet in ictus,
Tu tamē, vt stabilis, *Christe*, columna manes.
Scilicet hæc virtus, hæc est constantia, vultu
Impauido, lentas increpitare manus.
Ille locum plagæ iam destinat, ille flagellum
Sustulit, & corpus, dum furit ore, ferit.
Heu! teneri primis tinguntur ab ictibus artus,
Quid facient, repetent cum fera flagra locū.

Fit

Fit vibex, fit liuor, habet caro liuida tuber,
En ſuccedenti verbere tuber hiat.
Vulnus atrox ſequitur, manat de vulnere ſanguis,
Iam flagra, iam fuſo ſanguine terra, madet.
Iam quoque carnifices ruſſatas vndiq; veſtes
Et ſine fronte, manus erubuiſſe vident.
Saxea nil viſo molleſcunt corda cruore,
Imo recrudeſcit, qui fuit ante, furor.
Qualiter obiectis elephas accenditur vuis,
Aſperat & ſæuas purpura viſa tigres.
Taliter inſanæ gliſcit violentia genti,
Namque leuis magnam nō leuat vndā ſitim.
Ergo vrgent, rabiemque acuunt, rue, percute clamant,
Pars lateris ſupereſt integra, tunde latus.
Tergus arant, rubroque trahunt noua vulnera ſulco.
Dic mihi, quam ſegetem tam bona terra dabit?
Auguror; ex illo ſurget ſeges aurea campo,
Vlmus vbi nunc eſt, plurima laurus erit.
Vitis Amor meus eſt, dites habet ille racemos,
Hos premis, hinc vndāt nectare prœla nouo.
Vina cupis, nimium ſitiens, Romane, cruoris?
En tibi de *Domini* corpore, vina fluunt,
Tu tamen hæc frendens, tanta eſt inſania, calcas,
O quanti poterat, quod malè fundis emi!

ELEGIA IX.

Flagellatur in pectore.

HActenus in tergum deſæuijt improba pubes,

Restat & in pœnas pars lanianda nouas.
Cernis vt obuertant mollissima pectora flagris?
Pectora formosa candidiora niue.
Illa breui roseo nix est varianda rubore,
Concolor & dorso iam quoque pectus erit.
Nempe illud pectus, requies hesterna Ioannis,
Pectus inexhausti fons & origo boni.
Hoccine crudeli violabit taurea tactu?
Qui ferit hoc, illum pectus habere nego.
Attamen hoc, veluti chalybem, faber improbe, tundis,
Verberibus geminas verbera, flagra flagris.
Scorpius hammatis præcordia lancinat vncis,
Et sacra ferrato carpitur vngue caro,
Iam manifesta patent per vulnera, viscera: cerno
Iam propè laxatis *Cor* micuisse fibris.
Cor sine corde mihi est, & abit sine pectore pectus,
Cum tua sic video pectora, *Christe*, rapi.
Excordes animæ, quæ sic *Cor* amabile *Iesu*
Vellitis, indignæ vah feritatis opus!
Quæritis inclusas tali sub pectore gazas:
Est vice thesauri, qui fluit inde cruor.
Non opus est imas scrutari verbere venas,
Ecce patet rubri vena beata soli.
Vos magis atque magis tamen has pertundere vultis
Digna metalliferis, gens fera, carceribus.
Difficile est visu cohibere lycaonas agno,
Difficile est rabidas exsaturare feras.
Quid fremis? rarum, & nondum, dire satelles;
En modò cum lacero tergore pectus hiat.

Crude-

Crudelis! nec adhuc tamen horrida lora recondis?
Non habet, vt cupias, iam noua plaga locum.
Pergitis? appello te lex sempronia, teque
Porcia lex! non vos illa, vel illa mouet?
Nil mouet? ô miles durum genus! impia disces
Quem malè tractasti; turba, fuisse *Deum*,
Interea totis te, *Christe*, adstringimus vlnis,
Diluit & plagas lacryma multa tuas.
Nil agimus lacrymis: alius iam poscitur imber,
Debet amans sponso concolor esse suo.
Concolor ipse quidem rubeo sum schemate: fucus
Hic leuis est: debet concolor esse caro.
Ecce cutem lictor conscribillauit *Iesu*,
Heu! rubet immiti littera scripta manu;
Hanc lege, quisquis amas, facilis scriptura videnti est,
Grandibus, & minijs est inarata notis.
Quæ manus hanc scripsit? manus est, (quis credat) *amoris*,
Vsus at est calamo, dire lanista tuo.
Erraui miles: non est tuus ille character,
Sed nos sanguineâ scripsimus ista manu.
Scripsimus hæc nosco, malè scripsimus, optime *Iesu*
Parce, manus tandem sistimus & calamos.
Si malè scribendo ignari deliquimus: in me
Verto manū, in ꝓpria scribere disco cute.
Aspice, nodosis pertusa cuticula loris.
Liuet, & erratum corrigit vsque suum.
Arma nihil prosunt, si nō stringantur in hostē
Hostis adest, ferio, quis meus hostis? *Ego*,
Ipse ego sum: si quid flagris Romane, parabas.

Vnus ego ante omnes iure petendus eram;
Ah! caput innocuum mulctas, *Pilate*, nocenti
Parcis, vbi leges? dic vbi sancta themis?
Serò conquerimur: non est reparabilis error;
Quod licet auctorem criminis huius habe.
Tu quoties lacerum, pictor formabis *Iesum*,
Adijce picturis hoc, breue lemma tuis.
Plange, flagellati Iesu qui vulnera spectas,
Prabuit his causam Carolus, *atque manum.*

LACRYMÆ

B. RITÆ DE CASSIA,

Alia Christi tormenta, ac præcipuè acerbam eius coronationem considerantis.

ARGVMENTVM.

B. Rita, *seu Margarita de Cassia ordinis Eremitarum S. Augustini, anno* 1447. *sanctè religioseq; defuncta, & nuper in calitum numerum relata, inter ceteras virtutes, recolendæ* Christi *Passioni mirè fuit addicta. Audi rem portento similem, fortè in Parasceue Domini, concione de* Christi *cruciatibus ab oratore egregio Ord. S. Francisci habita interfuerat, cum ecce tibi tanta cœpit innocentissimi* Iesu *indigna acerbaq; perpessi commiseratione tangi, vt continuo in cellulã regressa, atq; in genua, ante* Christi *in Cruce pen-*

se pendentis effigiem prouoluta, enixè ab eo aliquam doloris partem sibi communicari postularet, quod stupendo planè modo impetrauit: nam repentè spina vna, è spinea Christi *corona, in mediam* Ritæ *frontem tanto impetu delata est, vt eam altissimè penetrarit, sauciaritq́; cuius profundum cruentumque vestigium, reliquo vitæ tempore, non sine ingēti dolore retinuit, quod hodieq́; in eius corpore visitur; vt asserunt ij, qui eius vitam varijs plenam prodigijs perscripserunt.*

ELEGIA X.

B. Rita secum recolit auditam de Christo patiente concionem, &c.

Est aliquid, dilecte, tuos audisse dolores,
Pluris at est plagas sustinuisse tuas,
Hausimus attonitis has auribus; attamen opto
Has quoque nunc imis condere pectoribus.
Has ego clausa domo, placidâ meditabor in vmbrâ,
Conuenit & lacrymis vmbra, quiesq; meis,
Hic tua, *Christe*, mihi pallens occurrit imago:
Et querulis resonant pulpita mœsta modis.
Quam benè suggestu præco diuinus ab alto
Explicuit pœnas, voce manuque, tuas,
Turba frequens mystæ pendebat ab ore loquentis,
Nullus & in densâ plebe tumultus erat.

Mana-

Manabant teneris tantum pia fletibus ora,
Materiâ lacrymas eliciente nouas.
Sæpe etiam tacito suspiria pectore clausa,
Et gemitus faciles tunc reperere vias.
Huius ego turbæ pars exiguissima stabam
Supplicijs, *Iesu*, pænè perempta tuis.
Omnibus vna locis non segnis adesse videbar,
Quæ tibi sanguineo sunt peragrata pede.
Nunc per oliuiferos colles gradiebar, & hortos,
Pertimui, cinctus milite collis erat.
Nunc ego per Solymam populo permixta ferebar,
Regnabat Solyma dirus in vrbe furor.
Feruidus orator mentem quocumq; trahebat,
Ingemuit visis protinus illa malis.
Seu coram *Caiphâ*, seu coram sisteret *Annâ*,
Vtraque res, nostri causa doloris erat.
Siue tuas colapho læsas à milite malas
Diceret, in colapho pallida facta tui.
Seu *Te Pilati* traduceret ante tribunal,
Nomine Pilati territa semper eram.
Audieram quoque te candenti in syrmate lusum,
Fleuimus hic *ludos, candide sponse*, tuos.
Fleuimus & laceros nudati corporis artus,
Cum tuus ipse tibi purpura sanguis erat.
Horruimus, tua dum spinis horrentia, Prætor
Ora truci populo conspicienda dedit.
En, si qua est pietas, *homo*, vix homo, cernite: forma
Ista potest rupes, ista mouere feras.
Nil vos Isacidæ mouet hic *homo*? vincitis ergo

Duritia

Duritia rupes, sæuitiaque feras?
Omnis, quam toleras *Iesu*, me pœna cruentat,
Plus miseret capitis me tamen vsque tui.
Cingitur en hirtâ paliuri è fronde corona,
Et stimulis cerebrum sauciat illa suis.
It cruor, & largo perfundit tempora rore,
Iris vt imbrifero dum rubet vda sinu.
Nil *dilecte*, tamen quereris, fers omnia mutus
Sic tacet innocuum sub lanione pecus.
Cur age spinosi pateris ludibria serti?
Excute, nil sanctæ promeruere comæ
Armat spina rosas. *Rosa* tu pulcherrima; forsan
Spina comes tali debuit esse rosæ.
Non equidem, non sic; nobis spina aspera quadrat,
Te decet è vernis plexa corolla rosis.
Ite procul spinæ, sterilis mala germina terræ,
In gelidâ dignæ crescere Sarmatiâ.
Quæ vos barbaries tales armauit in vsus?
Lædat vt auctorem planta maligna suum.
Parcite, crudeles, *Deus* est quem figitis istic
Debueras stimulos frangere spina tuos.
Debueras sacrasque comas, frontemq; vereri;
Aut prius in molles vertere tela rosas.
Si tamen in quenquã distringere tela volebas
Quam merito peteres, barbara turba fuit.
Turba ferox *Domino*, spinisque immanior ipsis,
Digna fuit toto corpore ferre rubos.

Sed

Sed quid ego ſpinaſq; truces, turbamq; ferocē
Arguo? ſæuitiæ hæc ſunt monumenta meæ.
Has ego produxi ſpinas, tu læderis illis,
Verte vices, proprium ſentiat auctor opus.

ELEGIA XI.

Optat B. Rita, à Chriſto vulnerari, & ſui voti fit compos.

O Caput! ô ſpinæ! foſſum caput vndique ſpinis,
Cum tua contemplor vulnera, vulnus amo.
Vulnus amo, caput iſtud amo, capitiſq; cruēti
Vulnificos ictus, ſanguineaſque notas.
Si redames me, *Chriſte*, tuæ da vulnus amanti,
Vulnus obærati pignus amoris erit.
Si peterem fuluæ rutilantia munera terræ,
Si caperer gemmis, gens Erythræa tuis,
Femineæ ſequerer ſi fluxa choragia pompæ,
Et nimium luxus ambitioſa forem:
Damnares meritò vota aduerſantia cælo,
Et *Rita* poſſes dicere, *vana* petis.
Zebedidûm genitrix (quid non honor æmule cogis?)
Anxia pro natis ad noua ſceptra ſuis,
Supplicibus verbis, *Ieſu*, rex maxime regū,
Auſa fuit vultus ſollicitare tuos:
Auſa fuit geminos regni melioris honores
Poſcere, & imperio proxima iura tuo,
Cæcus amor fuit hic, ſolijque inſana cupido,
Et ſimul euentu digna carere ſuo.
Hæc ego non poſco, non ſunt ea munera tanti,
Hæc bona ſunt votis inferiora meis.

Quod

Quod daret hostis, amo, volo vulnera, vulnera posco.
Quæ fugiunt omnes, hæc ego dona peto.
Ambitus hic nullus, mala nos ardenter amamus,
Sed mala quæ bona sunt, quæque ferenda bonis.
Delicias bone *Christe* fugis, mala fortiter hauris,
Hæc igitur bona sunt, & mala deliciæ.
Ecce pari tecum voto tua *Rita* laborat,
Et tibi dilectam quærit amaritiem.
Aspernanda quidem venio, tamen apta dolori
Si tibi sunt *Iesu*, sunt quoque membra mihi,
Ergo age flammatis totam me traijce telis,
Cor patet in vulnus, *Cor* mihi molle feri.
Erro, tuis pridem fixisti corda sagittis,
Hoc latus à *Domino* vulnera semper habet.
Sed tamen & locus est: & adhuc suspirat ad ictus,
Vulneribus quamuis saucia *Rita* tuis,
Fige iterumque iterumque nouas in pectore plagas,
Dulcia sunt tali spicula missa manu.
Francisci pridem, fixisti pectus amicum,
Hic tuus ex omni parte triumphat amor.
Stigmata gestat adhuc viuo signata cruore
Et pedis, & lateris vulnificæque manus.
Est quoque nota tibi, Senarum gloria, virgo
Prodigijs, memini, nobilitata tuis.
Hæc pariter quinas, gessit tua symbola, plagas,
Clam licet, & tacito saucia facta sinu.
Nec satis, è rigidis horrentia serta rubetis
Appres-

Appreſſi̇n capitiſte tribuente, ſuo.
Cara tibi *Clara* eſt, ſigna id teſtantia præfert,
Cui decus, & nomen nobile, *falco* dedit.
Quid tibi *Lutgardim* memorem tua viſcera? dulce
Hoſpitium cordis poſſidet illa tui.
Illa (quid hoc maius?) cæleſtibus ignea flammis
Admouit lateri labra pudica tuo.
Vt bibit hinc nectar, riſit perfuſa liquorem
Maſſice ſiue tuum, ſiue falerne tuum.
Talibus inuideo, ſed enim nimis ardua tento,
Indigna eſt tali nectare noſtra ſitis.
Non ego tam ſacros auſim contingere fontes,
Si fluat è *Chriſti* pectore ſtilla, ſat eſt.
Non ego *Franciſci* mereor, vel ſtigmata *Claræ*,
Oris non mereor, baſia vel lateris.
Non auſim totas *Catharæ* ſperare coronas,
Si datur è læſo vertice ſpina, benè eſt.
Spina placet, *Domini* venerando lota cruore,
Hæc mihi berylli, chryſolithique loco eſt.
Chriſte, per hanc oro rigida de fronde coronam
Experiar fronti ſpicula fixa tuæ.
Hei mihi! quid ſenſi? frons eſt modo cuſpide læſa.
Fallor? an hæc *Domini* de Cruce ſpina venit?
Venit io! gratare tuo modò *Rita* dolori
Venit in immeritum ſpina beata caput.
Sed cur ſola venit? reliquas, *amor*, adde ſagittas,
Fac ſuperent noſtras vulnera facta comas.

Felices spinæ, diuinæ insignia frontis,
Supremum à tali vertice nacta decus,
Vos ego crudeles si dixi, parcite dum,
Vos modò, si *Ritam* ritè feritis, amo.
Estis io! dulces, dum pungitis, vngitis: imo
A *Domino* tinctas vos reor esse rosas.
Vos ego fronte geram: tali cum vulnere *Iesu*,
Iam videor capiti posse placere tuo.
Aspice stigma nouum; iam tecum diuido pœnas,
Sed quod inæqualis pœna sit ista, queror.
Parte mei minimâ; totâ tu mole laboras;
Liber abi, toto corpore plectar ego.
Abnuis? hoc certè spinæ lætabimur ictu,
Auguror ex illa crescere posse rosas.
Hoc mihi iam dudum spondent cælestia tempe,
Ver vbi perpetuis induit arua rosis.
Dum sine vepre rosas felix mihi donet olympus,
Absque rosa duros hic tolerabo vepres.
Hic igitur sit spina comes, sit pœna satelles,
Itur ad elysium, per loca senta, nemus.

LACRYMÆ

S. FRANCISCI ET SERAPHICI affectus circa Iesu Christi crucem, eiusque crucifixionem.

ARGVMENTVM.

S. Franciscus Assisias, *biennio ante mortẽ in Aluerna mõtẽ secessit, vt istic opportunius*

nius, diuinis commentationibus vacaret. Hic igitur constitutus dum ipso Exaltationis S. Crucis die, in preces ardentius incumberet, exstasim passus, vidit Seraphinum, sex alis igneis coruscum, cœlo delabi, vnà cum hominis inter alas Crucifixi effigie. In hoc autem cælesti viso impressa sunt manibus, pedibus, ac lateri Seraphici Patris, sacra stigmata, qualia in ipso Seraphino fuerat conspicatus. Nos eum in optato montis, ac mentis secessu, si vacat, varijs affectibus æstuantem videamus.

ELEGIA XII.

Affectus varij circa Crucem.

ALuerni montes, nostræ iuga sacra quieti,
Hoc magè cara mihi, quò propiora polo.
Æstiuâ quoties vos tempestate reuiso,
Insolitis toties gestio lætitijs.
Quam iuuat hic procul à populis, & inanibus vmbris,
Otia cum summis ducere cælitibus.
Quam iuuat hic fagos inter, corylosque sonantes
Artificis laudes concinuisse *Dei*.
Et labor est dulcis, *dilecti* nomina mille
In teneris platani scribere corticibus.
Sculptorem me fecit *Amor, crucifixus Iesus*.
Hinc manus è facili signat vbique *Crucem*,
Crux est marmoribus, *Crux* est incisa cauernis,

Crux quoque cognatis crescit in arboribus.
Plurima *Crux* oculos circum ferit: aëra cerne
Hic *Crucis* in morem velificantur aues.
Aspice squamigeros vitreo sub gurgite cætus,
Exprimit en variatu pinna vibrata *Crucem*.
Crux sua cuiq; domi est: cælo seu brachia pando,
Siue decusso manus pectore, fingo *Crucem*.
Crux in delicijs, *Crux* est in amoribus omnis,
Sed mihi præ reliquis *Crux tua, Christe*, placet.
Non procul hinc sacro specus est vmbrosa recessu,
Quæque aliquid priscæ relligionis habet.
Visitur effigies illic pendentis *Iesu*,
Effigies vacuæ gloria tota specus.
Huc feror, huc propero (nihil est quod terreat amantem)
Saxa per, & dumos, horrificosque vepres.
Ardua pro planis, pro mollibus aspera sector,
Crux tua per tales est adeunda vias.
Ibimus, ô *Iesu*, duce te curremus in ictus,
Stet licet ante meum cuspis acuta latus.
Ibimus! hoc lentum est, tardæ molimina mentis
Nescit, & ignauas *gratia diua* moras,
Igne tuo, *Deus*, igne tuo exardescimus, vltro
Currimus in rigidas, te præeunte, *Cruces*,
Sic decet heroës, sic martia pectora ferri,
Exeat hinc, quisquis vulnus & arma timet.
Dum loquor, optatæ sensim succedo cauernæ,
Iam video, caram iam propè tango *Crucem*
O latebræ dulces! ô dulcia tecta! sub istis
Quanta latent (superi!) gaudia porticibus!
Salue Crux oculis species gratissima nostris,
In tua, mansurus brachia amator eo.

Inuideat quicumque volet, complector *Iesum*,
Nexibus & vinctum me tenet ille suis.
Hæc mihi vincla placent: sic vlmo gaudet Iacchus,
Sic hederæ salices, queis socientur, amant.
Gordius hic nodus, quẽ sæuus acinace Medus
Non secet, aut fracto fulmina lapsa polo.
Hic moror, in me vnum tellus coniuret & vnda,
Et premat hoc mundi tota ruina caput,
Stabo tamen: si sic occumbo, hoc sculpe sepulchro,
Cum cruce Franciscus, orbe cadente, stetit.

ELEGIA XIII.

Contemplatur Christi Crucifixionem, in monte Caluariæ.

SEd quid ago? *Iesu*, mutâ quid imagine pascor?
Quid iuuat effigies mortua? viua placet.
Qualis eras quondam Solymæi vertice collis,
Nudus ad infamem dum raperere crucem.
Talem te cupio; si non datur ista facultas,
Te similem certè fingere mente licet,
Hic locus inuitat (mons hic mihi Golgotha fiet)
Lux quoque, nam sacra est lux hodierna *Cruci*.
Eia agedum, *Francisce*, noua ad spectacula prodi,
Si lubet, hic patiens, sin minus, actor eris.
Actor ego vt fiam? non est hic actio, non est,
Hæc verè dici *Passio* sola potest.

Heu! quam feralis, *Iesu*, tibi scena paratur,
Solus vbi, flendus ludio, drama dabis.
Vltimus hic actus reliquis funestior, omnes
Sæuitiæ partes, quas tulit actor, habet.
Sanguinei hoc rores colaphorum liuor, hiulca
Corporis exhausti vulnera, sputa probant.
Parcere debuerat post tot tormenta tyrannis,
Non tamen est illi sic saturata fames.
Sæuit adhuc, ceu plena leo per ouilia pastus
Sanguineam lasso gutture raptat ouem.
Vix benè Golgothei ventum est ad culmina montis
Exitio *Iesu* fiata theatra tuo,
Cum toga diripitur, dolor hinc, lacrymæque, pudorque:
Corpus vt auulsâ purpurat omne togâ!
Sic propè fetinâ rubeus fluit humor ab vuâ,
Vltisator pedibus dum iacet icta tuis.
Sic quoque candenti spoliatur vellere, si quã
Saucia fit rapidi dentibus agna lupi.
Sed nudasse parum est, nudo tibi cruda dolatur
Arbor, Idumæis heu! malè cæsa iugis.
Mox quoque crudeles infert mastigia palmas,
Durateæque trabis funebre monstrat opus.
Deturbaris humi, (procul est reuerentia) tandem
Christe vale, rigidam iam subiture crucem.
Dum potes extremum *Franciscum* amplectere, posthac
Ne valeas, faciet clauus vterque moram.
Sis facie quauis lacerâ membrisque cruentis,
Hæc tamẽ amplecti membra cruenta iuuat:
Distrahit amplexus sed tigride sæuior hostis,
Quæque æterna velim gaudia curta facit.
O rabies vesana! *Deum* versatque trahitque

Impia gens, toto digna acheronte regi.
Christe, iaces strato commensus corpore lignum,
Promptus & immeritas tendis vtrimque manus,
Tendis ad immites, tormenta ferocia, clauos,
Et pateris: questus nil super hoste, fodi.
Et lassas toties Galilæo puluere plantas
Transadigi ferro te metuente, sinis.
Romulidis mixtus te circum frendet Apella,
Ductaq; de barathro scommata mille vomit
Tu tamen hæc inter sceleratæ murmura gētis,
Te quasi non feriant probra pudenda, siles.
O quantum hæc nobis diuina silentia clamāt!
Surda tamen fremitu non capit ista cohors.
Ecce suo tandem felicem pondere truncum
Furciferi immanes mœsta sub astra leuant,
Succussantque, rotantque, cauaque in rupe reponunt:
O lacrymis arbor sæpè riganda meis!
Huc oculi: hic ingens terram inter & astra sequester
Pendet, & orator hic (neque fallor) erit:
Maximus orator, simul exorator: adeste
Quos dubio cruciat lis agitanda foro.
Tota patrocinij vis hoc consistit in vno,
Ore silet, plagis non silet ille suis.
Auditis? fossæque manus, plantæque perorant,
Vicimus, hoc perdi causa loquente nequit.
Hinc non diuellar; Vos, si lubet, ite Patroni
Huius ero viuus, mortuus huius ero.

ELEGIA XIV.

Desiderat Christo Crucifixo configi, & impetrat.

Qvid? sine me figere *Cruci?* tolleris in altum
Me sine? lex vetus hoc, lex noua nescit amor,
Lex noua, lex vetus est, sit amans conformis amanti,
Ergo *Crucem*, *Iesu*, linque: vel adde *Cruci.*
Vulnera mille geres, & adhuc sine vulnere viuam?
Ah! nimium dispar viuit amantis amans.
Est tibi *Crux* arcus sunt tensi brachia nerui,
Cor pharetra est: illic spicula, mille latent
Ergo agedum totas in me cõsume pharetras,
Vtilius nulli quam mihi tela iacis.
Fige manus, vel fige pedes, vel pectus amantis
His errare nequit missa sagitta locis.
Ille Dioclæâ *Sebastes* clarus in aulâ,
Missilium densâ grandine pressus obit
Saxa subit *Stephanus*, furcam *Petrus*, æquora *Clemens*,
Ignem *Agnes*, ferrum *Barbara*, *Tecla* boues.
Quid reliquos sector? nemo sine vulnere nemo
Militat in castris, *O amor alme*, tuis.
Ergo tuis etiam transfixus viscera telis
Ante tuos oculos histricis instar eam.
Ardeo configi. *Crux* est mihi vita, nec ipse,
Dum tibi confixus non ero, viuus ero.
Quando meis tãdem *Iesu*, inscribere medullis?

Et referam vultus vera tabella tuos?
At quis ab ætherea delabitur aliger aula?
Hic nitor, hæc facies prospera signa ferunt.
Sis felix, quicumque meos dignare recessus,
Agnosco, meus est in *Cruce fixus Amor*.
Aspectu rapimur, simul & transfigimur: actum est:
Foderunt geminas ignea tela manus.
Et sua traiectæ senserunt vulnera plantæ,
Maius at in nostro pectore stigma latet.
O vbi sum? subitus quis me mihi surripit ardor?
Igne tuo, *Deus* ô! vror, amore tuo.
Sæpe tuas, memini, senserunt viscera flammas,
Sed simili nunquam mens fuit icta face.
Sæpe tuâ pariter mihi pectus arũdine læsũ est,
Sed tali nunquam cuspide tactus, ij.
Sum tuus, ô *Iesu*, tua me, tua stigmata produnt.
Arte noua similem me tibi fecit *Amor*.
Exuo *Franciscum*, *Christum* induo: ludus amoris
Hic placet, & formam, quam mihi præbet, amo.
Quam benè mutata est hodierna tragœdia! partes
Nunc *patientis ego, Christus agentis obit.*
Sic decuit pridem: si quis fuit error, *amoris*
Is fuit, ad *Iesu* vulnera cæcus erat.
Quisquis ades moneo, ne colluctêris *amori*,
En ego luctando stigmata multa tuli.

LACRYMÆ

B. V. MARIÆ

Exanime Christi filij corpus, è Cruce depositum complexæ.

ELEGIA XV.

TAlis, nate, venis defectæ matris in vlnas?
Hei mihi! quam dispar sarcina, nate venis.
Dulce puer quondam pondus, nunc pondus amarum,
Fasciculum Myrrhæ te modò iure vocem.
Hunc mihi fasciculum lacrymoso vertice profers
Golgotha, delicijs mons inimice meis:
Quantum à Thaboreo nunc distas Golgotha colle!
O quàm dissimiles hic rubor, ille nitor.
Triste ministerium! laceros complectimur artus,
In medijs propè complexibus exanimes.
Vulnera quot cerno, tot sentio spiculà: sensim
Emorior plagis saucia, nate, tuis.
Tres sumus hic, *Iesu*, mœstissima turba, *Maria*,
De tribus his matrem noscere, flendo potes.
En propè dat gemitus mea nunc Zebedeia proles,
Flebilis & gelidam sternitur in faciem.

Abſentem hinc animam repetita per oſcula quærit,
Magdalis, ad ſacros currere docta pedes.
Alter & alter adeſt ſenior, tibi fidus vterque:
Heu! vbinam comitum cetera turba latet?
Te pauci (reliquos ingens fugat horror) *IESV*
Plangimus, in vultus imbre cadente tuos.
Huc attolle genas, & languida lumina: mater,
Mater adeſt, triſti iuncta ſodalitio.
Aſpice nos, mœſtam præ cunctis aſpice matrem,
Et deſolato dic bona verba gregi.
Nequicquam voceſq; tuas, oculoſq; requiro,
Vox ſine voce ſiles, lux ſine luce iaces.
Hoc mihi ſpondebat feſtiuis vndique ſignis
Nuper ad ingreſſus obuia turba tuos?
Pars tibi cũ virides defringeret arbore ramos,
Et meritos palmas ſpargeret ante pedes.
Pars tibi cum choreis, cũctis reſonantibus, io!
Molle ſuperfuſâ veſte pararet iter.
Quàm citò mutata eſt ſpecioſæ gloria pompæ!
Quàm citò pro palmâ furca parata tibi eſt!
Fidite nunc ſatis: tales ſperate triumphos.
Quotquot inhumanâ degitis in ſolymâ.

ELEGIA XVI.

Iudæorum ingratitudinem & ſæuitiam arguit.

QVis furor Iſacidæ tales vos egit in iras,
Mitius hoc *Agno* nil (benè noſtis.) erat.
Ter denos duxit mecum placidiſſimus annos,
Et Pharos, & Naſareth incola teſtis erit.

Tres pariter tecum, turba ingratissima vixit,
Et tibi, quo saperes, tot documenta dedit.
Eia age, quid totâ gessit trieteride? certè
Impleuit meritis mænia vestra suis.
Nec tulit hos fines diuina potentia: claudi
Exiguo virtus limite magna nequit.
Exeruit radios longè lateque per oras
Siue tuas Genasar, seu Samaria tuas.
Hoc Tyros, hoc Sidon Galilæaque tota fatetur
Et Solyme toties docta, tacere nequit.
Iordanis, Nilusque sui præconia regis
Vulgat, & immenso narrat vterque mari.
Vsque adeo signis cælestibus omnia plena,
Vsque adeo toto creditur orbe *Deus*.
Totus amor, totusque salus, totusque medela
Per populos passim, qua properabat, erat,
Pro tantis meritis, Solyme quæ præmia pēdis?
Hei mihi! (vix credent postera secla) *crucem*.
Auctori male grata tuo, pro munere ponis
Tune crucem, Solyme perfida, tune crucē?
Scilicet has laurus, hoc nobile mausolæum,
Hæc moriens meruit nempe trophæa *Deus*.
Sunt virgæ fasces, mons regia, turba latronum
Nobilitas, claui munera, pœna fauor:
Crux solium, spinæ laurus, conuitia laudes,
Sceptrum cāna, cruor purpura, risus honor.
Indignum facinus! sic regem barbara plebes
Enecat, & letho vix satiata fremit.
Ah! Iudæa caue qui nunc tibi mitior *Agno* est,
Postmodo fulminei more *Leonis* aget.

Esse probant hominem tot vulnera, queis modo figo.
Oscula, vulneribus facta cruenta tuis.
Quæ sic diuinos fœdauit dextera vultus?
Non hominis certè, sed tigris illud opus.
Hæcne tua est ceruix, humero quæ lapsa recumbit?
Vt solet affusâ molle papauer aquâ.
Quam circum rigidis horrescunt tempora spinis!
Hæccine sunt capiti debita serta tuo?
Quam bene tu *Spinas inter* vis *lilium* haberi,
En prostrata iacent *lilia*, spina manet.
Me sine, spinosum de vertice tollere sertum
Stelliferum genitor iam diadema parat.
Interea tamen hanc pro pignore seruo coronam;
Conuenit ærumnis ista corona meis.
Pendula cæsaries, flauenti concolor auro
Vt iacet! ô *Samson* sic tua rapta coma est?
Oris honos vbi nunc? maiestas regia vultus?
Qua populis carus, quaque verendus eras.
Et cruor, & tristis geminos, tua lumina, soles
Nox habet: ô nimiùm nox tenebrosa mihi!
Illa potens rerum vitæ mortisque ministra
Lingua silet, verbis imperiosa suis.
Ergo silet *Verbum, Patris admirabile verbum*?
Cœlestis linguæ fulmina fracta vides.
Languentes huc flecte manus, amplectere matrem,
Ah! male perfossæ diriguere manus.
Stillat adhuc, magnæque rubet via peruia plagæ,
Sæuitiamque notat, ferree claue, tuam.

Quid ſacræ meruere manus? nihil illa, nec illa,
Semper in immeritos vtraque prompta fuit.
Si morbos curaſſe nocet, nocuiſſe fatebor,
Scilicet hac vobis parte necandus erat.
Hic furor, hæc rabies, hæc eſt manifeſta phreneſis;
In medicum (hæc merces) gens maleſana ruit.
Tua pares, ſeniorque pater, mala mala tuliſtis,
Quæ meruit furtum præmia, nate, ſubis.
En latus! En pectus materno pectore preſſum
Sæpius, hæc requies, deliciumque meum.
Occupat id totum pallor, liuorque, cruorque,
Hic numerum plagæ non habuere ſuum,
Hei mihi! quam vaſto vulnus patefecit hiatu
Lancea, diuinas auſa ferire fibras.
Certa nimis tua ſunt, *Simeon*, præſagia quondã
Quæ mihi fatidico præſcius ore dabas.
Sentio; fatalis fixit præcordia mucro,
Nil ſupereſt; ſatis hoc pro nece vulnus erit.
Quid reliquos ſpectem laniati corporis artus?
Exanimor: nimium vidimus, ah nimium.
Vix tua dimidiâ perlegi vulnera parte,
Hac tamẽ immenſum parte volumen habẽt.
Inſpectare humeros, & terga rubentia flagris
Horreo: ſæuitiæ ſunt ibi monſtra nouæ.
Quocumque intueor, dolor omnia, & omnia plagæ,
Sanguineis liber eſt ſcriptus vbique notis.
Cernite crudeli terebratas cuſpide plantas,
Nõ poterat dolor hic creſcere, creuit amor.
Quam ferus, & verè quam ferreus ille ſatelles,
Qui potuit teneros ſic fodicare pedes.
Pulcher eras nuper talos à vertice ad imos,
Nullus & in toto corpore næuus erat.

Nunc

Nunc lacer, es totus, plantas à vertice ad imas,
Atque vnum toto corpore vulnus habes.
Diligo te vel sic, talemque amplexor, & à te
Vel modò diuelli, funeris instar erit.
Cedendum tamen est, iam nox caligine mæstâ
Instat, & ad tumulum me pia turba vocat.
Ergo vale, matrisque tuæ summa oscula carpe,
Quæ tibi supremus me dare iussit amor.
Sacra cohors, tibi depositum venerabile trado,
Sed cum deposito, Cor quoque Matris habe.
Thesauri, cordisque simul concordia magna est,
Vna satis nobis vrna duobus erit.
Huic modo, si vultis commune inscribere carmen;
Scribite pro nato, proque parente dabo.
Hoc, Iesu corpus, Maria cor, marmore clausum est:
Hac nati fato concidit, ille suo.

SEPTEM CHRISTI VERBA NOVISSIMA, SEV LACRYMÆ IN CRVCE.

NAm Christum in fatali illa arbore, verba simul & lacrymas, ingenti amoris ac

doloris sensu fudisse, luculentus testis est Paulus Apostolus ad Hebr. c. 5. vbi de eo sic ait: *Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque, ad eum qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.*

PRIMVM VERBVM IN CRVCE.

Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. Luc. 23.

GOlgothei supra funesta cacumina montis,
Fixus in arboreo (sors violenta!) toro;
Hinc atque hinc manibus lato cum vulnere tensis,
Sanguineo exhaustas imbre rigante genas.
En tuus *orator Pater*, addictissimus adsum:
Vnde timenda mihi nulla repulsa subit.
Sat nosti genitor, quorsum hæc legatio tendat:
Euulgare tamen vota suprema placet.
Ah! *Pater*, extremum hoc oro, præque omnibus vnum,
Hostibus ignosci, qui meruere stygem.
Me fixisse cruci, crucibus vel mille piandum
Est scelus, & digno nomine culpa caret.

Sed

Sed tamen humanum est vel sic errasse: trucidat
Scilicet auctorem nescia turba suum,
Extenuat facinus, facti ignorantia: Quare
Supprime vindictæ tela parata tuæ.
Si summum scelus est, & inexcusabile: summi
Numinis est summis parcere criminibus.
Adde, quod hoc moriens natus te flagitat: istud
Vnum pro stimulo, sat, *Pater*, esse potest.
Hinc quoque, vindictam si iniuria poscat, amanter
Exemplo discet parcere quisque meo.
Hoc scio: mille tibi sunt fulmina, tartara mille;
Si volo, sacrilegos rupta vorabit humus.
Parce tamen Pater, ô! rogat hoc cruor iste: probent me
Fata fuisse *hominem*, *facta* fuisse *Deum*.

VERBVM II.

Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Lucæ 23.

VIx benè confixus medium latro vidit *Iesum*;
Cum subito passi tactus amore *Dei*.
Exclamat, *Iesu!* quamuis fremat impia turba,
Teque trabe infami, ludibrijsque grauet,
Te licet infestâ laceret commilito buccâ,
Inque erebi voces, iure sinister, eat.

Quam-

Quamuis nec proceres videam, nec regna nec aulam,
Te tamen & regem teſtor, & eſſe *Deum*.
Suadet amor tuus hoc, pietas, patientia, ſigna
Publica, diuinis *crux* tua plena notis.
Nunc: quid ego hæc inter, ſub acerbi funeris ictu
Quid precer? exiguum eſt, quod volo, quodque potes.
O! vbi felicem patriam, ſoliumque beatum
Attigeris, Princeps magne, *memento* mei.
Sum reus, agnoſco: tanti conſortia regis
Non merui: noſtri te meminiſſe, ſat eſt.
Profuerit tecum furcâ occubuiſſe propinquâ,
Si mihi ſuccurrat vel *crucis* vmbra tuæ.
Chriſtus ad hæc: bone prædo, tuam ſpem fallere nolo,
Obueniet votis optima præda tuis.
Cras ſerum eſt: hodie mecum mea regna ſubibis,
Pollicitis felix iam potes eſſe meis.
Arte tua nunquam poteras ſapientius vti,
Quam mea dum fixis aſtra rapis manibus.

VERBVM III.

Dixit matri ſuæ. Mulier ecce filius tuus. Deinde diſcipulo. Ecce mater tua.
Ioan. 19.

MAter amata vale, cuſtos fidiſſima nati,
Me repetit Genitor: Mater amata vale.

Nullus

Nullus erit natus, qui nostros æquet amores,
Qui tamen accedat, quà licet, vnus adest.
Scilicet hesternus lateris conuiua beati,
Ille tibi nati, tu vice Matris eris.
Mater ama natum, matrem quoque dilige nate:
Quam mihi cara parens, tam prope carus eris.
Seu vis *Benoni*, seu *Beniaminus* haberi,
Conueniunt equidem nomina bina tibi.
Filius et dextra, soboles quoque vera doloris.
Nam modo difficili nasceris in thalamo.
Esto memor partus: grauis est Matriq; mihiq;
Et tibi: nam dum tu nasceris, emorior.
Virginis hanc curam de virgine suscipe virgo.
Tali virginitas munere digna fuit.

VERBVM IV.

Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Matth. 27.

IN trabe funerea ternis confixus ab horis,
Pendeo: nec qui me subleuet, vllus erit?
Hesternâ cum nocte precans sudore madere-
rem
Sanguineo: tandem præbuit æthra manum.
Et modò, cum longis cruciatibus elanguescam,
Suppetias nemo, quas rogat hora, feret?
O *Deus*! ô natum sic deseris? aspice, tantum hoc,
Aspice: & euadet lenior inde dolor.

Desti-

Destituunt diuina meum solatia pectus,
Et tamen immensis torqueor, vsq; malis.
Torqueor à spinis, clauisque trabalibus: illi
Dilaniant plantas, dilaniantque manus.
Torqueor in cunctis percense singula, membris:
In cute si tantus, quis dolor intus agit?
En rerum natura meos miserata dolores
Mœret, & afflicto ferre laborat opem.
Hoc ferrugineus solis color, hoc tremor orbis
Indicat, & miris quassa elementa modis.
Interea vnigenæ, genitor, sub agone gementis
Sollicitas durâ respuis aure preces?
Te tutante, *Isaac* patrio subducitur ensi,
Armeniæ *Daniel* non timet ora leæ.
Insons eruitur saxorum ex imbre *Susanna*,
Fluctiuago *Ionas* vixit in oceano.
Assyrias calcat pubes innoxia prunas:
Ipse tamen curæ pars ero nulla tuæ?
Qui famulos seruas, natum, Pater alme, relinques?
Ingenium noui mitius esse tuum.
Nil ego deliqui: nimium nisi carpis amorem,
Nullum in me crimen, præter amare, vides.
Actor mitus, *Amor*, me traxit in hocce theatrum,
Vt mecum extremum drama, tragœdus agat.
Exegit, partesque meas sic acriter vrsit,
Finitimo vt morti linquar in articulo.
Linquor, nec linquor: nequit à Patre natus abesse,
Cur igitur *clamo*? quod vehementer *Amo*?

VER-

VERBVM V.

SITIO. Ioan. 19.

Ah! sitio! testis lingua arida, labra, palatum,
Exsuccæ fauces, viscera, & hinc sitio.
Ah! sitio: toto manauit corpore sudor,
Exhausit venas sanguis: & hinc sitio.
Ah! sitio: iam multa tuli, sed plura subire
Est animus, languet corpus, & hinc sitio.
Ah! sitio: pereunt animæ tot in orbe: nec vllus
Has sitit, has propter vror: & hinc sitio.
Æquora qui verbo, fontesq; & vina profudi,
Donaque mellifluĩ nectaris, heu! sitio.
Currere qui rigido lymphas de marmore iussi,
Qui lymphas verti in massica, nunc sitio.
Gens prona in calices, maciem lacrymantis egeni
Auersaris, in hoc spernor, & hinc sitio.
Insuper, ardenti iampridem lampade tota
Dius *Amor* fibras torret, & hinc sitio.
Quid dabitis sitienti? aliquid mordacis acet.
Scilicet, hoc moriens potor, & hinc sitio.
Ah! sitio: releuate sitim si vultis, amicas
Ferte animas, plures vel mihi ferte cruces.

VERBVM VI.

Consummatum est. Ioan. 19.

Quocumq; aspicio, sunt omnia cõsummata,
Quęq; rigor iustus, quęq; poposcit amor.

Impleui legem, mysteria, fata, figuras:
Mors superest; rigidæ *Mors* quoque *mortis ero*.
Si mea vita fuit prolixa oratio, *dixi*,
Si stadium, cursum finio, meta datur.
Si diuina fuit comœdia, *plaudite*: scenam
Desero, si tragicum drama, peto lacrymas,
Si bellum, vici: si victima, ritè litaui,
Crux ara est, agnus victima, cultor amor.
Si sacrum solemne (sciat gens postera) mystes
Iam consummatum est, dixit, abire licet.
Denique si vita hæc videatur *epistola claudo*, &
Impresso Iesu nomine, dico *vale*.

VERBVM VII.

Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Luc. 23.

Nil ergo reliqui est? restat suprema voluntas;
Me testamentum condere fata iubent.
Sed quid ego legabo? nihil mihi (cerne) reliquit
Vel mera pauperies, vel fera barbaties.
Nulla mihi viuo fuit aula, vel vlla supellex:
A moriente tamen vis modo dona? dabo.
Sic *statuo*: *mundo* fragilis tradatur *arundo*,
Carni spina, stygi flagra, columna *Petro*.
Purpura Martyribus, lacrymosæ spongia turbę,
Virgineo cedat candida palla gregi.
Militibus vestes, paradisum dono latroni,
Discipulos orbi, discipulisque crucem.
Zebedidem matri, matrem committo *Ioanni*,
Captiuis lytrum do, veniamque reis.

Omnia

Omnia iam certo partiuimus ordine: restat
Spiritus, & *Corpus*, pro Patre, proque solo.
Eia anima in gremium, sedemque reuertere Patris,
Depositum corpus marmore seruet humus.
Tende manus genitor, iam *Spiritus exit:* abibo,
Tertia sed reducem cernet in orbe dies.

RHYTHMVS

SEV THRENVS ANACREONTÆVS SVPER CHRISTO PASSO.

In illa Isaiæ verba. cap. LIII.

Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, &c.

I.

A*gnelle* mi tenelle
Raptaris ad macellum:
Nec fles adhuc ocelle
Spectaculum misellum.

II.

Caterua torua frendet
Sitiens tuum cruorem;
Furibunda vt vnda prendet
Innoxium liquorem.

Fuge,

III.

Fuge, fuge, quid moraris?
Vita Lupos rapaces:
Nam destinaris aris
Inter scyphos capaces.

IV.

Tumultus ille multus
Tragœdiam ferocem
Designat; hei! inultus
Moriere: tolle vocem.

V.

Ad arma, ad arma, ad arma
Properate, vester *Agnus*
Laniatur absque parma;
Hinc mæror ille magnus.

VI.

Ah! nemo nemo prodit
Fautor tibi futurus:
Nam te flagranter odit
Apella, prædo durus.

VII.

Manicasque compedesque
Et inde, & inde cerno;
Cultrosque forficesque
Fert lictor ex auerno.

VIII.

Fuge, fuge, quid moraris?
Vita lupos rapaces.
Nam destinaris aris
Inter scyphos capaces.

IX.

Nisi fugis, interibis
Agnelle mi miselle:

Excede,

Excede, vel ſabibis
Tormenta plena fellc.

X.

Hei ! barbarus ſatelles
Fero fremens furore
Deglubet vſque pelles
Tetro cruentus ore.

XI.

Acutus ecce culter
Iugulo necem minatur;
Nec qui retundat alter
Amicus aduocatur.

XII.

Dilecte mi, recente
Formoſior liguſtro
Doleo ſuper dolente,
Tua quando facta luſtro.

XIII.

Laniaris & ſecaris
Ab impia cohorte:
Nec flagra deprecaris
Acerbiora morte.

XIV.

Ah mille, mille pœnas
Paratus es ſubire;
Spinas, cruces, catenas,
Nec ſigna prodis iræ.

XV.

Imo ſtupente, cælo
Licet vſque & vſque læſus
Rogat incalente zelo
Veniam reis *Ieſus*.

XVI.

O mira vis *amoris*,
Quæ ſic vorat dolores:
Homo, nil habes vigoris,
Niſi ſimul ad labores.

XVII.

Scelerata turba, *tolle*
Fremit, *Agne mi*, valeto:
In eminente colle
Crux eſt parata leto.

XVIII.

Eheu! cruore tellus
Natat ecce purpurata:
Sic perdit ille *vellus*,
O luctuoſa fata!

XIX.

Balate, quotquot eſtis
Oues benigniores;
Sit veſtra lingua teſtis
Veſtros perire *amores*.

RHYTHMVS EX ANACREONTÆO, ET iambico bimetro permixtis.

In illa S. Pauli verba, ad Rom. c. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, &c.*

I.

Age quis in orbe toto
Propiore, vel remoto
Sic efferato pectore?

Vt me furore tristi
A *Charitate Christi*
Diuellat vllo tempore?

II.

Erit erit ergo quidquam
(Loquor entheatus) vsquam
Tam barbarum, tam ferreum?
Nihil nihil paueſco,
Per acerba mente creſco,
Eſt pectus, & cor æreum.

III.

Mala cuncta conglobatim
Ad ſingulare ſtatim
Certamen vnus prouoco:
Hic campus, hic palæſtra
Expromitote veſtra
Hic tela, quotquot euoco.

Vno eodemque ſtatu, ac pede manendo.

IV.

Ruat omnis huc Tyrannis
Teneris ferox ab annis,
Inſtructa mille ſpiculis,
Tribuliſque, malleiſque
Sudibuſque, taureiſque
Totis fatiget ſeculis.

V.

Spoliando, verberando,
Laniando, concremando,
Nil me, ſatelles, territas:
Corpus potes ferire,
Sed *Cor* nequis ſubire
Quod occupauit *Charitas.*

VI.

Adhibe cruces, cataſtas
Rigidi Neronis haſtas,
Enſes, rotas, ſuſpendia:
Aqua nulla, nulla Tethys,
Nec ad omne, quod timetis
Extinguet hæc incendia.

VII.

Sitis, fames, egeſtas,
Brumalis algor, æſtas
Exangue corpus atterant;
Intus premant dolores,
Foris fremant pauores,
Omneſque vires exerant.

VIII.

Suas trahant cohortes,
Lacrymabileſque ſortes
Anguſtiarum millia;
Circumtonent pericla,
Circumſonentque vincla,
Sunt ludus hæc hoſtiiia.

IX.

Nihil nihil paueſco,
Per acerba mente creſco,
Amore cuncta vincimus;
Age graia lerna cude
Noua monſtra de palude,
Amando debellabimus.

Decies

X.

Decies necem minare,
Vel amæna pignerare,
Florentis æui ſæcula:
Neq́ue *Vita* longa tanget,
Neq́ue *Mors* acerba franget
Dilectionis vincula,

XI.

Educat in theatrum
Furias ſuas *Barathrum*,
Et tela, & ignes euomat;
Erebi furentis æſtus,
Et machinas, & aſtus
Vis *Charitatis* edomat.

XII.

Quate corda vel futura
Vel imminente cura,
Fibras vides interritas:
Infra ſupraque mundum,
Sublime vel profundum
Nihil veretur *Charitas*.

XIII.

Licet vniuerſa verſet
Cataclyſmus, atq́ue merſet
Hoc quidquid eſt ſpectabile;
Tamen eminebit illas
Super æquoris procellas
Hoc pectus immerſabile.

XIV.

Nibil offeretur vſquam
Quod me reuellat vnquam
A *Charitate* numinis.
Non principum furores,
Non ætheris fragores,
Non horreo vim fulminis.

Finis Libri primi

PIARVM LACRYMARVM FONS SIVE LIBER II.

LACRYMÆ DAVIDIS REGIS.

Pro argumento vide *c.* XI. *l.* 2. *Regum.*

Elegia Prima.

Dauid duplicis peccati reus, primum præcipuè lapſum deplorat.

ET reus, & ſupplex venio, mitiſſime Iudex,
Aſpice mæſta precor ſupplicis ora rei.
Agnoſcis vatemque tuum, regemque prioris
Ille nihil regis, nil quoque vatis habet.
Mutaui rigido ſceptrum regale flagello,
Ad fontes faciunt talia ſceptra manus.
Et procul hinc dulces iuſſi ſecedere cantus,
Excludunt hilares crimina noſtra modos.
Purpuream pariter poſui cum ſyrmate pallam,
Sat mea purpureus nunc tegit ora pudor.
Et dolor, & rubor hic veniam pro crimine poſcunt,
His bona patronis cauſa duobus erit:

Anne erit? incertum est: timor hinc quatit ilia, & istoc
Quæ malè formidem, multa tribunal habet.
Namque minas circum, tonitrusque, & fulmina cerno,
Telaque ab ardenti mox iacienda throno.
Omnia me terrent, vultus, vox, ira Tonantis
Iudicis, heu! latebras quæ mihi terra dabit?
Sat scio, nulla dabit: terram vndique & vndique cœlos
Occupat, effugio nulla relicta via est.
Siste, precor, dextrã, Prætor supreme, rubentẽ,
Frangimus ante tuos plectra canora pedes.
Mæstũ aliquid, pro me testudo fracta loquetur,
Sic Domini debet plangere damna sui.
Si tamen inflexo liceat te flectere cantu,
Aggrediar ruptâ metra gemenda lyrâ.
Ille tuus nuper, vatum ter maxime vates,
Quis credat? vates regius ille tuus,
Heu: scelus admisi, cælo terræque pudendum,
Et mihi: sed serus venit in ora pudor.
Debuerat pudor ille nefas præcurrere: primum
Cum mea non licitus corda subiret amor;
Debuerat clamare, *Dauid, Dauid* effuge: demẽs
Ecquid agis? reuocat te pudor, heu! quid agis?
Et clamasse reor: subito sed ab impete rapti
Sollicitos surdâ spreuimus aure sonos.
Spreuimus ingrati: prô cæca insania! pœnas
Exige nunc de me, læsa pudicitia.
Exige, promerui: nec ego me subtraho pœnis,
Tunde agedum flagris pectora nuda patent.
Si dextram abstineas, iam te *Metanœa* præiuit,
Verberibus surdis sauciat illa fibras:
Et

Et mihi carnifices, tetrâ sub imagine, noxas
Obijcit, & pacem, quā precor vsque, negat.
Parce Deus sonti, pleno scelus ore fatemur,
Ore, quod in laudes fluxerat ante tuas.
Nec volo, nec possum (tanta est iniuria facti)
Crimen atrox verbis extenuare meis.
Suffundor, quoties cōpono nouissima primis,
Dissidet à regno casta iuuenta meo.
Fortis eram, dum castus eram: mihi dextera testis.
Et toties docili funda rotata manu.
Strauimus hac quondam monstrosâ mole gigantem,
Isacidûm populis qui pauor vnus erat.
Strauimus exiguo (vix credent secla) lapillo,
Hæc ego cum gessi prælia, virgo fui.
Et metuenda fuit iā tum mea dextra Leoni,
Dum raperet teneras sanguinolentus oues.
Tūc quoq; terrificis certamina mouimus vrsis,
Et cecidit digitis bellua victa meis.
Ipse ego, qui potui regem superare ferarum,
Fulmineo quamuis ore timendus erat.
Gethæum valui, qui debellare thrasonem;
Heu ego, fæmineo victus amore cado.
Sic malesanus amor reges dominatur in ipsos,
Nec cedit furijs vrse, Leoque tuis.
Nanus is est, sumos sternit tamen ille colossos;
Plus *Goliath* puer hic nempe timendus erat.
Nil tamen extimui; per aperta incendia præceps,
Nulla metus veluti causa subesset, ij.
Hinc arsi, hinc perij: visa fuit ignis in vnda.
Creuit in his credo perfida cypris aquis.
O luci! ô fontes! vitreîs ô noxia lymphis
Balnea! Sirenum perniciosa domus!

Vos benè detestor, si vos malè cautus amaui:
Ecquis enim pestem, qua perit æger, amet?
Nigranti de fonte venit fons iste dolorum,
Æthiopem propè me reddidit ille liquor.
In me iurarunt oculus, fons, fæmina: dignum
Sic vnus trino vulnus ab hoste tuli.
Verum oculi fraus prima fuit, fraus altera fontis;
Proditor est pæna dignus vterque sua!
Faxo, dabunt pænas vaga lumina; flumina fient:
Flagitium densis imbribus istud eget.
Ergo oculi in fontes, sed amaros currite fõtes,
Currite, & infames diluitote notas.
Si vidisse nefas, dabo digna piacula visu,
Causa oculus mortis, causa salutis erit.
Flentem igitur vesper, flentem me cernet eous,
Vndabunt lacrymis strataque, noxque meis.
Sed sine te frustrà; Deus optime; perpete nimbo
Totus in immensum liquerer oceanum;
Ni mihi præstet opem Charitum regina tuarum,
Lustrificoque reum mergat in amne caput.
Hoc immane scelus, toto indelebile ponto
Illa vel exili tergere fonte potest.
Hoc igitur concede iterumque iterumque lauari,
E coruo nitidus mox ego cygnus ero.

ELE-

ELEGIA II.

In qua post diuina beneficia commemorata ingratitudinem suam arguit; & secundum peccatum, Vriæ cadem deflet.

ANte tuas rursum, vindex metuende, secures,
(Quem mihi nunc nouus est conciliare labor)
Voluor inops animi: gemitu si flecteris vllo,
Questibus impleui regia tecta meis.
Nec satis; excrucior, tua cum benefacta recursant,
Augentur meritis crimina nostra tuis.
Paruus eram, memini, (liceat tibi nota referre)
Vltima Iessæi spes, oculusque Patris.
Ne male diffluerет fallente puertia ludo,
Est mihi lanigeri credita cura gregis.
Ruris, & agnorum dulci capiebar amore,
Et medijs insons exspatiabar agris.
Et Thabor, & Libani saltus, & pinifer Hermon
Sæpe sono citharæ subsistere meæ.
Sæpe inter salices, viridi Iordanis in orâ
Metra palæstinis admodulabar aquis.
Par aliquid magno cum Mose videbar habere,
Dum soceri placidas carmine mulcet oues!
Tunc ego fatidicos concepi præscius ignes,
Scilicet in siluis *diua poësis* ouat
Sit finis, hic nostri præludia dicere regni
(Tam bona sors certè non reticenda) iuuat.

Forte sub vmbrosâ captabam frigora quercu,
Cum coqueret medio sirius arua die
Hic gracili fessas pecudes solabar auenâ,
Et mihi delicias fistula mille dabat
Interea vates monitis cælestibus actus
Visit ephratæos, Patre stupente, lares.
Conuocat hic fratres, fratres subiere vocati,
Rex mihi de vestra gente, legendus, ait.
Vota facit, numenq; vocat, fratresq; recenset,
Nullus in hoc numero, qui legeretur, erat.
Vnus abest Dauid, nemorum reuocatur ab vmbris.
Inscius ad regni fræna tenenda feror.
Me videt, vt læto *Samuel* clamore salutat,
Rex, ait, *hic vester*, qui modò pastor, erit.
Sceptra pedo mutanda, sagum cum murice: fixum est,
Sic volo: *Dauidem*, quem volo, numen amat.
Dixit, & extemplo, sacro mea tinxit oliuo
Tempora: festiuo carmine tecta sonant.
Continuo trepidis mens subsultauit anhela
Motibus: hæc superi signa fauoris erant.
Hos inter plausus, insperatosque triumphos,
Ad sua me primus rura trahebat amor.
Nomine rex, re pastor eram: nam sceptra regebat,
Quem modo destituit vita salusque *Saul*
Huius auernales furias, rabiemque leuare
Aggressus citharâ, carminibusque fui.
Hinc latè procerum cæpi inclarescere turbæ,
Illa fuit nostri ianua prima mali.
Seu furor ille fuit, stygij siue hospitis ira,
Protinus infensi sensimus arma ducis.
O quoties nostrum petijt rex cuspide pectus!
Nil nocuit: numen cassis & ægis erat.

O quo-

O quoties molita necem fuit æmula turba.
Sum tamen è mediâ victima rapta nece.
Viuimus, & regno, supra mea vota, potimur:
Sed quod viuo *Deus*, quod gero sceptra, tuum est.
Heu! male sceptra gero; turpaui crimine fasces:
Deficit hoc vno linguaque mensque loco.
Inter oues melius, quam splendida tecta latebam:
O *Samuel* nostris inuidiose bonis!
Candida simplicitas cum virginitate pudicâ
Rus amat, hæ comites rure fuere mihi.
Ambitio, fraus, luxus, opes, venus, improba turba,
Aulica deserto culmina rure colunt.
Vna (malum!) Venus vna, truces imitata tyrannos,
Sub iuga me miserum, sæuaq; vincla dedit,
Inque nouam traxit miseranda clade ruinam,
Sic sceleri scelus est, in mea damna gradus.
Obruere exactum speraui crimen; inique!
Non bene, quæ clamat noxa, latere potest.
Hausimus Vriæ, sceleratâ fraude, cruorem,
Hannonio quamuis saucius ense ruit
Ille meæ mandata manus, sua fata ferebat,
Ibat & in certam nescius ille necem.
Ibat ouans, pro rege mori, patriaque paratus:
Occidit: *Vria* sum moriente, reus.
Sanguineam, heu! potui, crudelis, scribere legem?
Ipsa nec erubuit charta videre nefas?
Horruerant digiti, traxerunt scripta ruborem;
Et tamen inuitum penna peregit opus.

Mens mihi cæca fuit, nec talibus excita mon-
stris
Substitit: in nostrum scripsimus ista caput.
Tristior illa dies fatali turbine: cum tu
Care vir, à cara coniuge raptus, obis.
Innocui manes, lacrymabilis hostia belli,
Parcite; nec somnos terreat vmbra meos.
Ipse tibi tumulum statuam, tumuloque quo-
tannis,
Affusus lacrymas, quas petis, ipse dabo.
Parcite & ô superi: fusi sum sanguinis author,
Postulat & nostri sanguinis ille vices.
Parce tamen, seruaque tuum, *rex optime, regem*.
Nam tibi seruatus gloria maior ero.
Perdere iure potes, fateor; sed parcere regum
est,
Perdere cum possis, sit potuisse satis.
Crimina tot lentâ patiens circumspicis irâ,
Cur mihi, dissimulans cætera, durus eris?
Ore serenato si me dignâre: recurret
Articulis motus, luminibusque vigor,
Dulce melos linguæ, menti sua gratia: iam iam
Restituam fractas ad noua metra fides.
Audiet & reduces ad templa Sionia cantus,
Si qua fuit nostris gens stupefacta probris.
Se tua cum nostris clementia porriget annis,
Regibus exemplum non leue *Dauid* ero.
Exerrasse (piget) me nouerit orbis vterque;
Sed simul erratis indoluisse sciat.
Et verò sciet hoc: chartâ lacrymante loque-
mur;
Flens leget & lacrymas turba futura meas.

L A-

LACRYMÆ MANASSIS.

ARGVMENTVM.

MAnaſſes, rex Ieruſalem, pijſſimo parente Ezechia defuncto, in varia ſcelera prolapſus eſt: ob quæ, Deo vindice, captus à rege Aſſyriorum, in Babylonem ductus eſt; vbi in cuſtodiam datus, *vide l. 2. Paralip. c. 33.*

ELEGIA III.

Suam captiuitatem luget, & iam illius cauſam refert, ſpreta Patrũ, & Iſaiæ monita.

RAptus ad Euphratē miſer, à victore ſuperbo
Hic premor, & nimium fata ſiniſtra gemo.
Quid potius? nequeam cælo cum tendere palmas;
Nam geminas arctant ferrea vincla manus.
Inſuper & grandi ceruix onerata catenâ.
Non ſinit oppreſſum tollere ad aſtra caput,
Ergo effuſus humi nequeo quo lumina ferre,
Quoq; manus nequeo mittere, mitto preces.
Hæ puto, ſumma petent; ſurſum ſi deuehit ala,
Hæ quoque habēt alas, qua iaculamur, eunt.

Ite preces nostræ, suspiria nota, sagittæ,
Figite trans euros, cælicolasque, *Deum*:
Figite, sed cuius sitis si vota, requirat,
Vnde vel audaci vos ferat aura pede.
Dicite, nos vinctus misit Babylone *Manasses*,
Quem modo, (sic poscunt crimina) carcer habet.
Verbaque ne desint vobis, ego voce præibo,
Vos mea nunc memori condite verba sinu.
Ille *Ezechiades*, iusti Patris impia proles,
Admonitus casu deteriore iacet.
Heu! iacet in tenebris, & opaco fornice clausus,
Clarius his aliquid nunc videt in tenebris.
Se videt inuisum cœlo, Patrique, sibique:
Est aliquid tenebras posse videre suas. (retur,
Se videt ô quãtum est? simul hoc quodcũq; fa-
Quod videat, *Deus* ô, luminis esse tui.
Seque, Deumque videt: visu res vtraque digna,
Te *Deus*, vltorem, se videt esse reum.
Captiuum mala sæpe mouent: plus profuit illi
Nocte sua carcer, quam tuus, aula, nitor.
Auditis superi? mœstum insonuere catenæ,
Et miseris vincti planctibus antra gemunt,
Ah pudet, (& quem non, careat nisi fronte, puderet!)
Sic à laudato degenerasse patre.
Ille mihi quoties, *Manasses* paruule, dixit,
Si sapias, tenero numen ab vngue cole.
Non exempla Patris deerunt, tantum aspice Patrem,
Si tibi Patris amor, sit tibi cura *Dei*:
Ah! caue te blando libertas regia vultu
Perdat: obest teneris mentibus ille locus.
At ne fortè tuum deprauent otia pectus,
Otia qui tollat, iam tibi doctor erit.

Amosidæ magni vultus vereare, manusque:
Hunc velut lapsum sidere numen habe.
Nutus iussa putes, voces oracula credas;
Et dicas, quidquid dixerit, αὐτὸς ἔφα.
Esse scias idola dolos: simulacra Deorum
Saxa: Ioues, Phoebos horrida monstra stygis.
Cuncta renarrantem fidi mandata parentis
Deficiat me vox, deficiatque dies. (dore;
Nec memorare iuuat: regerunt memorata pu-
Tam bona constanter vita tenenda fuit.
Iā propè fatales Pater (heu!) expleuerat annos,
Stabat & exhausta iam propè Parca colo.
Aduocor: hic flentem me flens amplectitur: implet
Me monitisque suis, me lacrymisque suis.
Desierat iam posse loqui: tamen vltima vox hæc
Est data. Nate *Deum*, non queo plura, time.
Per sceptrum dextramque tuam, Pater optime, dixi,
Per caput hocce tuum iuro, timebo *Deum*.
Hunc equidē timui: sed, vt est mutabilis ætas,
Mox sacer occubuit, Patre cadente, timor.
Sic Pater atque timor, tumulo clauduntur eodem,
Illa fuit nostri prima fauilla mali.

ELEGIA IV.

Secunda ruinæ causa, idololatria, quam detestatur.

VIx mihi bissenos Lachesis benè neuerat annos,
Præficior regnis aptior ipse regi.
Et populi plausu, solij successor auiti
(Lætitiæ cuncti signa dedere) vocor.

Viue mihi clamant fatis felicibus: annos
Viue Patris, Princeps incylte, viue tuos.
His ego lætitijs diffundi pectora sensi,
Et nouus imperij corda momordit honor.
Successi regno, sed non virtutibus: illas
Detulerat secum sub caua busta parens.
Vt dulces inter surgit labrusca racemos,
Crescit & è tenera spina cruenta rosa.
Sic malus heroo fluxi de sanguine sanguis,
Dissimilis proauis, dissimilisque patri.
Ipse dedi, fateor, magnæ spem messis in herba,
Sed fuit hæc lactens turbine rapta seges.
Quem Pater afflarat, sub pectore sensimus ignem,
Ista sed affusa flamma resedit aqua.
Quoque minus licuit, libuit magis: vndique turba
Nobilis, ad nutus officiosa meos,
Quid tibi cum patrijs, clamat, rex optime, iussis?
Currat ad optatos aurea vita dies.
Te tua libertas vocat ad noua gaudia: cessas?
Es tener: est ætas mollis, & apta iocis.
Blanda decent iuuenes senio grauiora remitte.
Te citat in gyrum læta iuuenta suum.
Flos nouus es, nisi flore nouo nunc vteris, ille
Deperit, hunc sero deperijsse gemes,
Me miserum in præceps sirenum verba dedere:
Iam scio: nil dulci sæuius hoste nocet.
Ergo mihi subitò mutatâ mente placebant,
Quæ fuerant matri nausea, quæque patri.
Tunc quoq; formosæ, species euanida, pompæ.
Tunc ioca, tunc veneres, tũc placuere chori.
Tũ pius Amosides monitis primoribus instat,
Figit & ante oculos dicta paterna meos.
Nequid-

Nequidquam vates auersas verberat aures,
Abstulerant celeres iussa paterna noti.
Vt penitus genitor mente excidit: ilicet ipse
Sum mala sacrilegi facta secutus aui.
Aggredior fatale malum regnoque; mihique:
Illa fuit cœptis hora sinistra meis.
Nam quæcũq; parens celestibus abstulit aasis,
Reddidit hæc proles inficianda patri.
Ille superstructas excelsis collibus aras,
Subruit, & fractos perdidit vnda *Deos.*
Ipse ego mẽtis inops reparo, quas sustulit, aras,
Et noua constructos sustinet ara deos.
Quod sacra, quod ritus, *Domini* quod fulgeat ædes.
Acceptum *Patri* debet id omne meo.
Quod sacra nunc iaceant, *Domini* quod mœreat ara,
Hæc hæc *Manassis* impie, culpa tua est.
Cæditur infamis patrio molimine lucus,
Restituit cæsum sed mea dextra nemus,
Illic inuenies fictos ex marmore diuos,
Hos ego, cum finxi, tunc puto, marmor erã.
Illic aspicies, erratica signa, planetas,
Hos ego cum fixi, cæcus & erro fui.
Nescio, *militiam cæli*, quis dixerit astra,
Hoc scio, militiæ conuenienter eunt.
His ego sideribus, non fausto sidere, dixi,
Vos mea vos eritis numina: numen abi:
Impia vox! pudet astra poli coluisse: profanæ
Militiæ damno nunc genus omne meæ.
Phœbe vale, phœbiq; soror, vale Iupiter: & tu
Mars fere, mars regno perniciose meo!
Cedite futilium simulacra pudenda Deorum,
Possidet en maior pectora nostra *Deus.*

O di-

Odimus hos colles, & collibus addita monstra,
Omnia sunt odio digna perire meo.
Luce, dabis pœnas: manes gaudete parentis,
Sceptraq; barbaricum nunc male passa iugũ.
Vltor ero, si viuus ero, si vincula rumpo,
In mea captiuos mox dabo vincla Deos.
Scilicet expediet vinclis se Iuppiter istis,
Et mihi quam nescit, tunc sibi promet opẽ.
Pallada non ægis, venerem non forma iuuabit,
Nec sua Mercurium Virga, nec arma Iouem.
Non citharæ Phœbum, non Martem spicula: cunctis
Vulcanus lucem, quam meruere, dabit.

ELEGIA V.

Tertia infortunij causa, magia, & virorum illustrium cædes.

EXtremam vereor scelerum pertexere telam,
Atropos hoc vtinam dissecuisset opus,
O pudor! ad magicas etiam decurrimus artes,
Tunc procul à patrijs artibus exul eram,
Ars fuit vna Patris, toto celeberrima regno,
Cælicolum Regi, thura precesque dare.
Hanc ego despexi, benè quam præceperat, artẽ,
Tartareisque dedi, per mala fata, locum.
Multus in augurijs, & inani voce volucrum,
Multus in hariolis, quos tulit orcus, eram.
Somnia quin etiam, veluti si somnia prosint,
Sæpius ingenium detinuere meum.

Quid

Quid iuuat auſpicijs animos, oculoſq; dediſſe?
Quid iuuat inſanos conſuluiſſe Deos?
En procul à ſolymis, regni ſpoliatus honore,
Aſſyrio patior colla grauata iugo.
Hanc mihi nemo tamen cladem prædixit haruſpex:
Ah! nimium vanis credula turba ſumus.
Cedite Pythones gens falli & fallere nata,
Cedite: non ego ſum cæcus, vt ante fui.
Nunc ego ſum vates: & Apolline clarius omni
Peruideo, cladis puncta ſuprema meæ.
Impietas nocuit, ſtrictique licentia ferri,
Qua fuit infandis ſtragibus vſa manus.
Sparſimus innocuo tēplumque araſq; cruore,
Talis adhuc ſolymæ, ſanguinis vnda calet.
Parce opifex, vindexq; meus: tibi nota fatemur
Et digna æternis crimina compedibus.
Cum mea damnarent commiſſa nefaria vates,
Vatibus inſcripſi, flebile theta tuis.
Hoc tamen è numero, longe clariſſimus vnus,
(Quem male ſuſtulimus) ſæpe gemendus erit.
Et ſocer, & regum pariter de ſanguine cretus,
Et mihi Præceptor, Patre, volente, datus,
Amoſides cæſus noſtrum eſt ſcelus; ô ſcelus ingens!
Quæ ſatis horrendum diluet vnda nefas?
Non queat hoc, *Cedron*, cum torrentiſſimus exit.
Non queat *Euphratis*, nec Tigris amne laui.
Quod nequit Euphrates, toto neque gurgite Tigris,
Hoc faciet fuſus mœſta per ora latex.
O *Deus*! aſtrorum rex optime, maxime regum,
Qui dominâ ſceptrum das adimiſque manu:
Aſpice ſuccĭduo depreſſum poplite corpus,
Liuēteſq; genas, ſanguineoſq; oculos. Nam

Nam modo pro lacrymis ſanguis fluit: aruit humor
Qui comes ærumnis triſtibus eſſe ſolet.
Aruit, & nimio ploratu pupula languet:
Exeſis oculis nunc coquit oſſa dolor?
Hunc ego luctifico teſtor clamore dolorem:
Ille meus clamor te vocat, ille dolor.
Aſpicis? an prohibent tot crimina? reſpice, non eſt
Iſta *Manaſſæa* littera ſcripta manu.
Scripſimus hæc lacrymis, & ſanguine: parce lituris,
Sunt hic erratis omnia plena meis.
Ne mirere tamen, tenebroſo carcere clauſi
Scripſiimus hæc, tenebris ſunt quoque digna ſuis.
Eripe de cæcis, caput hoc miſerabile, luſtris,
Reſtituam luci regna ſepulta ſuæ.
Mecum Relligio, pietas, Themis aurea: mecū
Læta coronatis Pax reuehetur equis.
His ducibus volupe eſt ſolymæa reuiſere tecta,
Dicere & æternum, cum *Babylone*, vale.
Quæ feret hunc Aurora diem? citharista *Sionis*
Immortalis ero, lux vbi talis erit.
Interea, *Adonai*, dum grata refulſerit Eos,
Vt tuus hic cultor, ſic meus vltor ero.

LACRYMÆ PETRI.

ARGVMENTVM.

PEtrus *Apoſtolorum* princeps, poſt trinam Chriſti negationem, (quæ

(quæ in domo Caiphæ contigit) egressus foras, ad vicinam vrbi Hierosolymitanæ speluncam, vt antiqua fert traditio, continuò se recepit, & amarissimè fleuit, *teste Luca. c. 22.* vnde & Clemens in recognit. eum ad galli cantum semper illacrymasse, & sanguineos eius oculos ex perenni fletu fuisse tradit *Niceph, l. 2. c. 37.*

ELEGIA VI.

Casum suum deflere, eiusq́ causam inquirere aggreditur.

EVasi, sed serò nimis: post *vulnera sentum*
Postulo; Piscator scilicet iste sapis.
Ad portum propero fracta rate, parcite Diui,
Naufragio superest vna tabella meo.
Retia iam pridem, remos, clauumque reliqui,
Anchora restat adhuc *spes bona*, saluus ero.
Pande sinus *Metanaa*, tuis nos credimus vlnis,
Te sine (vah casum!) funditus interij.
Interij, da Diua manus, extendis? abunde est,
Erigor, & meliùs, spes mihi dicit, erit.
Venimus ad rupes, & idonea fletibus antra,
Ante nefas, fuerat talis habenda domus.

Hic

Hic ego, quod supereſt noctis, luceműq; futurã,
Hic reliquum vitæ, quod tribuetur, agam.
Et dolor, & pudor huc, & criminis horror adegit,
Rupibus his gemitus commemorabo meos.
Eia *Aurora* mane; ſolito magè namque rubeſces,
Si fueris culpæ conſcia facta meæ.
Æternam poſcit nocturna negatio noctem,
Aptius & lacrymis tempora noctis eunt.
Hanc oculi noctem ſignate rubentibus vndis,
Sanguineis digna eſt nox inimica notis.
Hac ego (quæ tenebræ! quam perfida lingua!) magiſtrum
Heu! eiuraui (vix mihi credo) meum.
O Maria! ô terræ! ô cæleſtia tecta! qnid egi?
Quæ teget infelix cæca Latebra caput?
Non ſatis eſt timidæ rupes licet abdita menti,
Optaret totis alpibus illa tegi.
Omnia iam vereor, qui nil tamen antè verebar;
Agnoſco, ſequitur facta nefanda timor.
Aſtra, ſolum, nox, antra, fragor rupti ætheris, ignes,
Fulguraque inclamant vndique: *Petre caue.*
Ah ego te, *Ieſu* malè prodite, deprecor abſens
Vt mala vix vllâ parte ferenda leues.
En circum piceis nigra *deſperatio* pennis
Ambulat: & furuas tendit in ora manus.
Non ita *Chriſte* veta: tuus & ſim, & dicar oportet
Inuideant quamuis tartara tota mihi.
Noſtra ruina grauis: ſed & hanc reparare ruinam,
Qui das è nihilo ſurgere cuncta, potes.

Vnde

Vnde sed hic lapsus? tantæ primordia cladis
Quærere, singultu verba secante, lubet.
Iam propè diuinæ *Iesus* conuiuia mensæ
Finierat, mœstis iussa suprema dabat.
Hei mihi! *quo vadis?* dixi comitabor euntem,
Nec mihi mors sine te, vita nec ipsa placet.
Hanc animam pro tè, veritus nil vulnera, ponam
Hanc animam, aut si quid carius est animâ.
Christus ad hæc. Ne fide tibi, nox imminet atra,
Hac tibi ter earum nocte *negabis* herum.
Nunquam ego *te* nunquam, coniurent cuncta, negabo:
Mille prius plagas, vincula mille feram:
Fortiter hæc dixi: sine pondere dicta fuere,
Quam citò iurata est, tam citò fracta fides.

ELEGIA VII.

Alias ruinæ causas, in horto Getsemani, & Caiphæ domo commemorat.

HAud procul à solymâ, tacitis secessibus aptus
Collis, oliuifero surgit in astra iugo.
Hæc, licet infaustæ iamdudum præscius horæ,
Dux meus, impauido venit ad arua pede.
Stipator Domini reliquis audentior ibam,
Hærebat lateri cætera turba meo.

Hic

Hic rursum æthereo tacti clamauimus æstro,
Ibimus in medias, te duce, *Christe* cruces.
Ibimus in gladios, per acuta, per ardua belli,
Ha! pereat, si quis signa ducemque fugit.
Extinctus fuit hic subitis velut imbribus ardor,
Hosticus è Solyma dum furor vrbe ruit.
Luna fuit, tacitoque simul palantia mundo
Signabant faciles astra corusca vias.
Hostis adest: micuere faces, sonuere sarissæ,
Signa ducem nosco per sua: proditor est.
Diffugiunt socij per & auia, & inuia *Iesu*
Militis ad fremitum, tu tamen vsque manes.
Et maneo, primosq; aditus fortuna secundat,
Solus ego cunctos prouoco, solus ego.
Ocyus arripio, pulsa formidine, ferrum,
Stringitur & damno, *Malche*, machæra tuo.
Vlterius certare vetor. vincitur *Iesus*,
Hinc pauor, hinc reliquo cum grege capta fuga est.
Sed puduit, subitoq; pedes, animumq; reflexi,
Me timor abstulerat. me reuocabat amor.
Ergo gradu lento vestigia cara legebam:
Post Dominum timidis passibus isse, nocet.
Malche, tuo melius cecidissem saucius ense:
Dulce mori, potui cum sine labe mori.
Interea, *Iesu Caipha* raptaris in aulam:
Huc sequor: audacē tunc quoq; fecit *amor*.
O vtinam infelix nunquam penetrale subissē,
Venit in hoc dirâ fulmen ab æde caput.
Nimirum irruimus per aperta pericula cæci,
Sic adit infames naufraga puppis aquas.
Hic ego, qui solus tota agmina mente vorabā,
O pudor! ancillæ voce sonante, cado.

Bis

Bis fueram mendax, nimium periurus habebar,
Forsitan & gallus tunc, mihi dixit, abi.
His nihil attonitus, damnosæ accedo cohorti,
Inter hyperboreas nempe columbus aues.
Ignis erat, luci trepidans, igniique propinquo,
Illa fuit nostri causa suprema mali.
Protinus infausto perijt meus ignis in igne,
Et tenebras menti lux dedit illa meæ.
De grege vesano, mihi, dementissimus vnus
Nazaridæ Iesu, tu comes, inquit, eras.
Inficiere licet, linguâ, *Galilae*, teneris,
Indicio sorex proditur ipse suo.
Vox mihi pro tonitru, pro fulmine verba fuere
In barathrum, veluti turbine quassus, ij.
Bis cecinit gallus, cum *ter* te, *Christe negaui*.
Strenuus in lapsum scilicet ipse fui.
Immortale probrum! *Petrus* eiurauit *Iesum*:
Ille cui *Iesus, Tu Petra* dixit. *eris*.
Nempe ego sum infractæ dictus de nomine *Petra*
Qui subito tactus flamine, sternor humi.
Eiuro Dominum constanter! scilicet hoc est
Cum Domino pariter, pro Dominoque mori.
Eheu! crimen atrox, & inexcusabile! *Iesu*,
Nescio te, potui dicere. *Nescio te*.
Errani fateor summi tu vera parentis
Progenies, verbis concelebrata meis.
Talem ego te noui: talem te terra fatetur,
Astraque, te talem prædicat vnda maris:
Vnda tibi sicco quondam calcata meatu;
Et mihi: sed dubiam non tulit illa fidem.

Tunc puto, prima dabam fidei mala ſigna caducæ,
Prælufit fato mobilis vnda meo.
Sed malè prælufit: damno præludia, & actum:
Da veniam *Ieſu* non bonus actor eram.
Nunc ſcio te, niſi te ſic deformarit Apella,
Vt propè iam qui ſis, dicere nemo queat.
Te ſcio, nam plenam tecum trieterida vixi,
Dulcius hoc nullum tempore tempus agam.
At mihi præ reliquis lux optatiſſima fulſit,
Cum tuus emicuit per iuga ſumma nitor.
Tunc tecum æternas voluiſſem ducere luces,
Totus amabilibus raptus ab illecebris.
Nunc vbi ſublato traheris captiuus honore;
Te nego: diſceſſit ſcilicet ille decor.
Sic quoque deſpicitur maieſtas aurea ſolis,
Dum latet in pictâ condita nube dies.
Explorant aduerſa fidem: cadit illa timore,
Ante tubam leo ſum, poſt data ſigna lepus.
Feruor vbi priſcus? vox martia? maſcula virtus?
Omnia (væ miſero!) ſuſtulit atra dies.
O! nunquam tutum proprijs confidere neruis,
Me ſtabilem petram credidi, arundo fui.

ELE-

ELEGIA VIII.

Suam ignauiam, & ceterorum discipulorum arguit, Christi oculis suam conuersionem adscribit &c.

HEi mihi! quos qualesq; viros in bella vocasti
Militiæ *Iesu* duxque caputque nouæ.
In tua nimirum fortes iurauimus arma,
Verbaque, quos tenui dissipat aura sono.
Grande sacramentũ, promissaq; fœdera cuncti
Rupimus. Impietas iam sua quemque notat.
Te sacer Iscariot scelerata per oscula prodit,
Ipse ego te, lingua ter titubante, nego.
Cetera turba, fugam, ceruorum more, capessit;
O infide tuo grex fugitiue, Duci!
Parcite cælicolæ miseris: deliquimus omnes,
Sed grauius cunctis me cecidisse queror.
Quid de me Solymæ, Galilæaq; tota loquetur?
Opprobrium seræ posteritatis ero.
Quid de me *Virgo*, deserti mater *Iesu*?
Quid de feminco *Magdalis* vna choro?
Quid dices frater rediuiue, quid hospita Christi?
Desertaque *Messiæ* turba secuta latus?
Ipse quid (hoc caput est, quod me mage torquet, & vrit)
Quid *Iesus* de me sentiet? hic trepido.
Quocumque aspicio, confundor; & omnia circum
Vultibus in nostris lumina fixa reor.

Publica iam toto iactamur fabula vulgo,
Omnia sunt facti plena rubore mei.
Si fugisse nefas, facinus quam grande negasse
est?
Vix veniâ dignum crimen vtrumque putes.
Est ita: sed veniam *Iesu* clementia spondet,
Molle cor ad lacrymas scilicet ille gerit.
Ille, (quis hoc credat?) media inter probra, benigno
Lumine, & inflexo lenè supercilio,
Hæc tua *Petre fides*, ait, hæc constantia Petræ?
I nunc & validi nomen amantis habe.
Ille quidē hæc tacitus: sed fulminis altius ictu
Saxea perrupit viscera: & hinc lacrymæ
Exundant ruptæ petræ de vulnere: & huius
Author aquæ, iuges ire iubebit aquas.
Tunc respectasses nisi me, mitissime *Iesu*,
Issem præcipiti per scelus omne viâ.
Quis scit an in laqueos malesana mente ruissem?
Quis scit an & gladio pectora nuda darem?
Sed benè ter lapsum diuina potentia fulsit,
Qua sine, nunc erebo victima mersa forem.
Quas tibi nunc grates? quæ dona remetiar, obses
Optime? supremis ara reperta malis!
Me nisi terreret propriæ formido ruinæ,
Te sequerer reduci stricta per arma gradu.
Sed delusa nouos audacia deserit ausus.
Cum male prodierim, nunc latitare iuuat.
His tamen è latebris animus prorumpit; & absens
Quo pede non valeo, mente volante feror.
Iamque sacris videor defigere basia plantis,
Et genua amplecti cum prece, cum lacrymis.
Verùm

Verùm, vbi nunc, dilecte, iaces? etiamne pudendos
Iscariotidas inter, probra iocosque subis?
Numquid adhuc *Caipha* te dira palatia vexant?
An modò te *Ponti* triste tribunal habet?
A *Caipha* timeo: fuit ille minacibus vsus,
Vocibus, & *Mortis* dixerat esse *reum*.
O vbicumque lates, *Iesu* captiue, dolentem
Me (potes, obnupto sis licet ore) vide.
His oculis, quibus astra vides, nebulasque repellis,
Et quibus insani decidit ira maris.
His oculis, quibus vda pix *Bethanidos* ora,
Cum stetit ante tuum, luctibus ægra, torum.
Eia vide his oculis, quibus hoc scelus ante solebas,
Carior è cunctis cùm tibi pænè forem.
Exsculptus meritò carorum ex ordine dicar,
Quidquid erit, dicar dum tuus esse, sat est.
O *Iesu* miserere rei: vox ebria fletu
Deficit, & sanguis iam mihi sunt lacrymæ.
Omnis longa mora est miseris: hæc vnica certè
Vnius secli nox mihi visa fuit.
Ergo agedum miserere: iube hanc clarescere noctem;
Auroram, sceleri si modò parcis, amo.
Nox tamen vt redeat, rumpas mihi, galle, sopores:
Mox vigil ad cantus illacrymabo tuos.
Plura vetant gemitus: inscribam cætera saxis,
Et nomen poterunt discere saxa meum.
Interea nomen dum discent marmora, mutus
Plura dolor, tacitus plura loquetur *amor*.

LACRYMÆ MARIÆ, NEPTIS S. ABRAHAMI Eremitæ.

ARGVMENTVM.

S. *Abrahamus* anachoreta religiosissimus, neptem habuit *Mariam* nomine, quæ pupilla anno ætatis septimo, illius curæ commissa est, & in casa, eius tugurio proxima, tredecim annos commorata, pijs patrui monitis, ætate simul & virtute crescebat, sed incauta Virgo, ab impuro lenone dicam an leone seducta, & eremum deseruit, & pudorem pudicitiamque (prô dolor!) per biennium venalem habuit. Interea bonus *Abraham*, miserabilem neptis casum cælesti viso didicit, eamque egregio stratagemate militem nempe, sed sancte amantem indutus, ab infami quæstu eripuit, atque ereptam Deo, eremoque redonauit. vbi tantopere eam præteritorum criminum puduit, pænituitque, vt vbi abundarat delictum, superabundaret & gratia. *Vide apud Ribadenyr. vitam Abrahami Erem. 16. Mart.*

ELE-

ELEGIA IX.

Infelix Mariæ ex eremo fuga,&c.

NEptis ego magni (carum mihi nomen) *Abrami*
Hoc indigna licet nomine,facta fleo.
Flenda equidem , quæ teste *Deo* , quæ vindice cælo
Gessimus,at clemens maluit esse *Deus.*
O Deus!ô pietas!ô numen amabile sonti!
Sum rea mille modis,sustinet ille ream.
Scilicet vt plangam commissa piacula,vitam
Prorogat,& dicit:quod datur, adde lucro.
Nil opus admonitu:cæcis emersimus vmbris,
Et malè desertum iam relegemus iter.
O ego! si nunquam violassem iussa Tonantis,
Isset & ad niueos vita pudica dies.
Cæpimus auspicibus superis benè : prima sed æui
Gloria (dedecorant crimina) fluxa fuit.
Quisquis amas vitæ seriem cognoscere nostræ,
Huc ades,& mecum tempora lapsa dole.
Iam propè natales ierant ex ordine septem,
Cum gemino (dolor hinc) orba parente fui.
Ne mea tum dubijs fluitaret casibus ætas,
Transferor ad patruas erudienda manus.
Est in secessû nemorum,sub rupibus altis,
Parua quidem,Patruo sed tamē apta domus.
Hûc procul à curis , streperæque tumultibus aulæ
Ducebat placidos per sacra vota dies.

Hinc vitæ documenta dabat, data mente tenebam,
Et, nisi fugissem, sæpe daturus erat.
Cum patruo, memini, cælo arridente, morata
Delicias sensi, dulcis ereme, tuas.
Tartarus inuidit nostris contrarius ausis,
(Sic teneras sternit sæpius aura rosas.)
Autumnus decies siluas spoliârat honore,
Postque decem brumas tertia messis erat.
Cum me nescio quis prædo dignissimus orco,
Traxit ad illicitam, nocte fauente, fugam.
Auocor è siluis (siluas doluisse putares)
Nam subitus motis frondibus horror ijt.
Et puto, vicinis vlularunt montibus vmbræ,
Terruerant animos talia monstra meos.
Hei mihi! quid facio? dixi, quo lintea verto?
Quot patruo lacrymas, transfuga virgo, dabis.
Qualiter impulsæ scythicis aquilonibus vndæ
Nauifragam rapiunt inde, vel inde ratem:
Sic iter in dubio est; animus quoque, voluor vtrimque,
Et mens consilijs statque labatque suis.
Vicit at improbitas, blandæque licentia vitæ,
Ipsa dedi faciles in mala fata manus.
Ad Circes scopulos, insanaque regna Diones
Deferor infami, per loca vasta, pede.
Nox potuit celare fugam, non crimina: *Nocte Astra vident*: astris nil ego mota fui.
O mala nox! mala noxa! nigris tumulanda tenebris!
Hac ego cum fugi, nil mihi lucis erat.
Iam nostrum visura nefas, patruique dolores,
Perfidiæ testis, lux erat orta mea.

Vt primo vidit rubuisse cacumina Phæbo,
Protinus ad solitas me ciet ille preces.
Irrita vox fertur: cessit procul improba neptis,
Æmula nequitiæ, prodige, facta tuæ.
Exemplo reserat mœsta cum voce fenestram,
Aspicit, heu! vacuos, & sine nepte lares.
Neptis vbi es? clamat, resonat clamoribus antrum,
Neptis vbi? pudor est! dicere, neptis vbi.
Perdita neptis erat, dulci delusa veneno,
Grandibus hinc guttis proluit ora senex:
Ora sinusque, pauimentumq; natare videres.
(O Abraham damnis illacrymate meis!)
Bis canis Erigones nostros lustrarat amores,
Et Patrui lacrymas bina notarat hiems.
Ille, bonæ dum mentis inops mala gaudia sector,
Pro deploratâ virgine vota facit.
Nec facit incassum: delabitur æthere somnus,
Mox noua sopito pectore monstra videt.
Cæruleum spectat metuendâ mole draconem,
Qui vomat horrificas ore, oculisque faces.
Rictibus hic patulis, & auaro pronus hiatu
Fertur in exitium, blanda columba, tuum.
Ah! fuge, quid cessas? volucris miseranda repente
Ni fugias, rabidi præda draconis eris.
Quo ruis? exclamat gemitu rumpête soporê,
Redde meam immanis bellua, redde meam.
Plaudite: reddita sum, vomuit fera bellua prædam:
Ille sopor nostræ signa salutis habet.
Discere, & hoc vultis quonam sim reddita pacto?
Discite: res fastos postulat illa suos.

ELEGIA X.

Felix eiusdem in eremum regressus, operâ S. Abrahami.

PAtruus vt raptam (quid non amor optime cogis?)
Quæreret, orbati Daphnidis instar, ouem.
Ibimus hinc, inquit, prędam rapiemus auerno.
Et fluet in nostras, salua columba manus.
Sit caro, sit mundus, sit contra tartarus vnum,
Mox spolium felix de tribus vnus agam.
Arte perit Satanæ neptis, repetemus & arte,
(Quis vetet ingenuis artibus esse locum?)
Induit arte sibi vestes venatôr, & anceps,
Captet vt hic volucres, vincat vt ille feras.
Ipse nouam meditor (facilis *Deus* annuat) artem,
Vt cadat in casses præda cupita meos.
Dixerat: extemplo sibi militis aptat amictus,
Mutat & aurato squallida texta sago.
Militat ad læuam gladius spectabilis auro,
Succingit medios byssina zona sinus.
Hactenus impexos disponit in ordine crines,
Et speculum, quo fitiam speciosus, amat.
Et ne quid desit formæ, tegit ora galero,
Ora prius nudo vertice passa niues.
Et suris ocreas, ocreis calcaria promptus
Adijcit: ingenij est nempe sagacis *Amor*.
Quin digitos gemmis, & collum torquibus ornat,
His, inquit, poterit forsitan illa capi.

Quid moliris *Abram*? quæ te noua cura fatigat?
An nouus in veteri pectore flagrat amor?
Flagrat amor, sed castus amor, sed virgine dignus,
Hoc duce non tritas tentat inire vias.
Quam bene, quâ placeat, speciem sibi fingit amantis,
Quam bene, de superis arsq; decorq; venit.
Hebræi regina chori, fortissima *Iudith*,
Hos p-truum docuit forsitan ante dolos.
Quidquid id est, placeat; quoniam placet ista Tonanti
Fraus bona, fraus prædam mox habitura suã.
Personam mentitus *Abram* sic militis exit
Nota petens celeri mænia vectus equo.
Euolat extemplo stimulis ardentibus actus,
Trans iuga, trans saltus, flumineasque vias.
Non ita præcipiti per plana, per ardua cursu
Impatiens raptis fœtibus vrsa, ruit.
Non ita vicinum miles generosus in hostem,
Fulget vbi prædæ spes melioris, abit.
Ecquid ages, *Maria*? tuæ nunc imminet vrbi
Patruus: hospitij iam propè tecta subit.
Euocor, occurro: vultum mirata, requiro,
Tune senex cano vertice, forsan amas?
Ah! amo, clamabat: lacrymas vix continet, ipsa
Continuò sensi pectoris ima quati.
Hic aliquid latet, aio, gerit plus milite miles
Iste, senex solito plus sapit ille sene.
Luminibus fixis hominem dum perlego totum,
Nescio quis sacer est visus in ore nitor.

Hîc ego,quod superest noctis, lucemq; futurã,
Hic reliquum vitæ,quod tribuetur, agam.
Et dolor,& pudor huc,& criminis horror adegit,
Rupibus his gemitus commemorabo meos.
Eia *Aurora* mane; solito magè namque rubesces,
Si fueris culpæ conscia facta meæ.
Æternam poscit nocturna negatio noctem,
Aptius & lacrymis tempora noctis eunt.
Hanc oculi noctem signate rubentibus vndis,
Sanguineis digna est nox inimica notis.
Hac ego(quæ tenebræ! quam perfida lingua!) magistrum
Heu! eiuraui(vix mihi credo)meum.
O Maria! ô terræ! ô cælestia tecta! qnid egi?
Quæ teget infelix cæca Latebra caput?
Non satis est timidæ rupes licet abdita menti,
Optaret totis alpibus illa tegi.
Omnia iam vereor,qui nil tamen antè verebar;
Agnosco,sequitur facta nefanda timor.
Astra, solum, nox, antra, fragor rupti ætheris, ignes,
Fulguraque inclamant vndique: *Petre cadus.*
Ah ego te, *Iesu* malè prodite,deprecor absens
Vt mala vix vllâ parte ferenda leues.
En circum piceis nigra *desperatio* pennis
Ambulat:& furuas tendit in ora manus.
Non ita *Christe* veta: tuus & sim,& dicar oportet
Inuideant quamuis tartara tota mihi.
Nostra ruina grauis: sed & hanc reparare ruinam,
Qui das è nihilo surgere cuncta, potes.

Vnde

Vnde sed hic lapsus? tantæ primordia cladis
Quærere, singultu verba secante, lubet.
Iam propè diuinæ *Iesus* conuiuia mensæ
Finierat, mœstis iussa suprema dabat.
Hei mihi! *quo vadis*? dixi comitabor euntem,
Nec mihi mors sine te, vita nec ipsa placet.
Hanc animam pro tè, vetitus nil vulnera, ponam
Hanc animam, aut si quid carius est animâ.
Christus ad hæc. Ne fide tibi, nox imminet atra,
Hac tibi ter earum nocte *negabis* herum.
Nunquam ego *te* nunquam, coniurent cuncta, negabo:
Mille prius plagas, vincula mille feram:
Fortiter hæc dixi: sine pondere dicta fuere,
Quam citò iurata est, tam citò fracta fides.

ELEGIA VII.

Alias ruinæ causas, in horto Getsemani, & Caiphæ domo commemorat.

HAud procul à solymâ, tacitis secessibus aptus
Collis, oliuifero surgit in astra iugo.
Hæc, licet infaustæ iamdudum præscius horæ,
Dux meus, impauido venit ad arua pede.
Stipator Domini reliquis audentior ibam,
Hærebat lateri cætera turba meo.

Hic

Hic rursum æthereo tacti clamauimus œstro,
Ibimus in medias, te duce, *Christe* cruces.
Ibimus in gladios, peracuta, per ardua belli,
Ha! pereat, si quis signa ducemque fugit.
Extinctus fuit hic subitis velut imbribus ardor,
Hosticus è solyma dum furor vrbe ruit.
Luna fuit, tacitoque simul palantia mundo
Signabant faciles astra corusca vias.
Hostis adest: micuere faces, sonuere sarissæ,
Signa ducem nosco per sua: proditor est.
Diffugiunt socij per & auia, & inuia *Iesu*
Militis ad fremitum, tu tamen vsque manes.
Et maneo, primosq; aditus fortuna secundat,
Solus ego cunctos prouoco, solus ego.
Ocyus arripio, pulsa formidine, ferrum,
Stringitur & damno, *Malche*, machæra tuo.
Vlterius certare vetor. vincitur *Iesus*,
Hinc pauor, hinc reliquo cum grege capta fuga est.
Sed puduit, subitoq; pedes, animumq; reflexi,
Me timor abstulerat, me reuocabat amor.
Ergo gradu lento vestigia cara legebam:
Post Dominum timidis passibus isse, nocet.
Malche, tuo melius cecidissem saucius ense:
Dulce mori, potui cum sine labe mori.
Interea, *Iesu Caipha* raptaris in aulam:
Huc sequor: audacē tunc quoq; fecit *amor*.
O vtinam infelix nunquam penetrale subisse̅,
Venit in hoc dirâ fulmen ab æde caput.
Nimirum irruimus per aperta pericula cæci,
Sic adit infames naufraga puppis aquas.
Hic ego, qui solus tota agmina mente vorabā,
O pudor! ancillæ voce sonante, cado.

Bis

Bis fueram mendax, nimium periurus habebar,
Forsitan & gallus tunc, mihi dixit, abi.
His nihil attonitus, damnosæ accedo cohorti.
Inter hyperboreas nempe columbus aues.
Ignis erat, luci trepidans, ignique propinquo,
Illa fuit nostri causa suprema mali.
Protinus infausto periit meus ignis in igne,
Et tenebras menti lux dedit illa meæ.
De grege vesano, mihi, dementissimus vnus
Nazaridæ Iesu, tu comes inquit, eras.
Inficiere licet, linguâ, *Galilae*, teneris,
Indicio sorex proditur ipse suo.
Vox mihi pro tonitru, pro fulmine verba fuere
In barathrum, veluti turbine quassus, ij.
Bis cecinit gallus, cum *ter* te, *Christe negaui*.
Strenuus in lapsum scilicet ipse fui.
Immortale probrum! *Petrus* eiurauit *Iesum*:
Ille cui *Iesus, Tu Petra* dixit. *eris*.
Nempe ego sum infractæ dictus de nomine *Petra*
Qui subito tactus flamine, sternor humi.
Eiuro Dominum constanter! scilicet hoc est
Cum Domino pariter, pro Dominoque mori.
Eheu! crimen atrox, & inexcusabile! *Iesu*,
Nescio te, potui dicere. *Nescio te*.
Erraui fateor summi tu vera parentis
Progenies, verbis concelebrata meis.
Talem ego te noui: talem te terra fatetur,
Astraque, te talem prædicat vnda maris:
Vnda tibi sicco quondam calcata meatu;
Et mihi: sed dubiam non tulit illa fidem.

Tunc puto, prima dabam fidei mala signa caducæ,
Prælusit fato mobilis vnda meo.
Sed malè prælusit: damno præludia, & actum:
Da veniam *Iesu* non bonus actor eram.
Nunc scio te, nisi te sic deformarit Apella,
Vt propè iam qui sis dicere nemo queat.
Te scio, nam plenam tecum trieterida vixi,
Dulcius hoc nullum tempore tempus agam.
At mihi præ reliquis lux optatissima fulsit,
Cum tuus emicuit per iuga summa nitor.
Tunc tecum æternas voluissem ducere luces,
Totus amabilibus raptus ab illecebris.
Nunc vbi sublato traheris captiuus honore;
Te nego: discessit scilicet ille decor.
Sic quoque despicitur maiestas aurea solis,
Dum latet in pictâ condita nube dies.
Explorant aduersa fidem: cadit illa timore,
Ante tubam leo sum, post data signa lepus.
Feruor vbi priscus? vox martia? mascula virtus?
Omnia (væ misero!) sustulit atra dies.
O! nunquam tutum proprijs confidere neruis,
Me stabilem petram credidi, arundo fui.

ELE-

ELEGIA VIII.

Suam ignauiam, & ceterorum discipulorum arguit, Christi oculis suam conuersionem adscribit &c.

HEi mihi! quos qualesq; viros in bella vocasti
  Militiæ *Iesu* duxque caputque nouæ.
In tua nimirum fortes iurauimus arma,
  Verbaque, quos tenui dissipat aura sono.
Grande sacramentũ, promissaq; fœdera cuncti
  Rupimus. Impietas iam sua quemque notat.
Te sacer Iscariot scelerata per oscula prodit,
  Ipse ego te, lingua ter titubante, nego.
Cetera turba, fugam, ceruorum more, capessit;
  O infide tuo grex fugitiue, Duci!
Parcite cælicolæ miseris: deliquimus omnes,
  Sed grauius cunctis me cecidisse queror.
Quid de me Solymæ, Galilæaq; tota loquetur?
  Opprobrium seræ posteritatis ero.
Quid de me *Virgo*, deserti mater *Iesu*?
  Quid de femineo *Magdalis* vna choro?
Quid dices frater rediuiue, quid hospita Christi?
  Denique *Messiæ* turba secuta latus?
Ipse quid (hoc caput est, quod me mage torquet, & vrit)
  Quid *Iesus* de me sentiet? hic trepido.
Quocumque aspicio, confundor; & omnia circum
  Vultibus in nostris lumina fixa reor.

Verùm, vbi nunc, dilecte, iaces? etiamne pudendos
Iscaridas inter, probra iocosque subis?
Numquid adhuc *Caipha* te dira palatia vexant?
An modò te *PontI.* triste tribunal habet?
A *Caipha* timeo: fuit ille minacibus vsus,
Vocibus, & *Mortis* dixerat esse *reum*.
O vbicumque lates, *Iesu* captiue, dolentem
Me (potes, obnupto sis licet ore) vide.]
His oculis, quibus astra vides, nebulasque repellis,
Et quibus insani decidit ira maris.
His oculis, quibus vda piæ *Bethanidos* ora,
Cum stetit ante tuum, luctibus ægra, torum.
Eia vide his oculis, quibus hoc scelus ante solebas,
Carior è cunctis cùm tibi pænè forem.
Exsculptus meritò carorum ex ordine dicar,
Quidquid erit, dicar dum tuus esse, sat est.
O *Iesu* miserere rei: vox ebria fletu
Deficit, & sanguis iam mihi sunt lacrymæ.
Omnis longa mora est miseris: hæc vnica certè
Vnius secli nox mihi visa fuit.
Ergo agedùm miserere: iube hanc clarescere noctem;
Auroram, sceleri si modò parcis, amo.
Nox tamen vt redeat, rumpas mihi, galle, sopores:
Mox vigil ad cantus illacrymabo tuos.
Plura vetant gemitus: inscribam cætera saxis,
Et nomen poterunt discere saxa meum
Interea nomen dùm discent marmora, mutus
Plura dolor, tacitus plura loquetur *amor*.

LACRYMÆ MARIÆ, Neptis S. Abrahami Eremitæ.

ARGVMENTVM.

S. *Abrahamus* anachoreta religiosissimus, neptem habuit *Mariam* nomine, quæ pupilla anno ætatis septimo, illius curæ commissa est, & in casa, eius tugurio proxima, tredecim annos commorata, pijs patrui monitis, ætate simul & virtute crescebat, sed incauta Virgo, ab impuro lenone dicam an leone seducta, & eremum deseruit, & pudorem pudicitiamque (prô dolor!) per biennium venalem habuit. Interea bonus *Abraham*, miserabilem neptis casum cælesti viso didicit, eamque egregio stratagemate militem nempe, sed sancte amantem indutus, ab infami quæstu eripuit, atque ereptam Deo, eremoque redonauit. vbi tantopere eam præteritorum criminum puduit, pænituitque. vt vbi abundarat delictum, superabundaret & gratia. *Vide apud Ribadeneyr. vitam Abrahami Erem. 16. Mart.*

ELEGIA IX.

Infelix Mariæ ex eremo fuga, &c.

NEptis ego magni (carum mihi nomen) *Abrami*
Hoc indigna licet nomine, facta fleo.
Flenda equidem, quæ teste *Deo*, quæ vindice cælo
Gessimus, at clemens maluit esse *Deus*.
O Deus! ô pietas! ô numen amabile sonti!
Sum rea mille modis, sustinet ille ream.
Scilicet vt plangam commissa piacula, vitam
Prorogat, & dicit: quod datur, adde lucro.
Nil opus admonitu: cæcis emersimus vmbris,
Et malè desertum iam relegemus iter.
O ego! si nunquam violassem iussa Tonantis,
Isset & ad niueos vita pudica dies.
Cæpimus auspicibus superis benè: prima sed æui
Gloria (dedecorant crimina) fluxa fuit.
Quisquis amas vitæ seriem cognoscere nostræ,
Huc ades, & mecum tempora lapsa dole.
Iam propè natales ierant ex ordine septem,
Cum gemino (dolor hinc) orba parente fui.
Ne mea tum dubijs fluitaret casibus ætas,
Transferor ad patruas erudienda manus.
Est in secessû nemorum, sub rupibus altis,
Parua quidem, Patruo sed tamē apta domus.
Hûc procul à curis, streperæque tumultibus aulæ
Ducebat placidos per sacra vota dies.

Hinc vitæ documenta dabat, data mente tenebam,
Et, nisi fugissem, sæpe daturus erat.
Cum patruo, memini, cælo arridente, morata
Delicias sensi, dulcis ereme, tuas.
Tartarus inuidit nostris contrarius ausis,
(Sic teneras sternit sæpius aura rosas.)
Autumnus decies siluas spoliârat honore,
Postque decem brumas tertia messis erat.
Cum me nescio quis prædo dignissimus orco,
Traxit ad illicitam, nocte fauente, fugam.
Auocor è siluis (siluas doluisse putares)
Nam subitus motis frondibus horror ijt.
Et puto, vicinis vlularunt montibus vmbræ,
Terruerant animos talia monstra meos.
Hei mihi! quid facio? dixi, quo lintea verto?
Quot patruo lacrymas, transfuga virgo, dabis.
Qualiter impulsæ scythicis aquilonibus vndæ
Naufragam rapiunt inde, vel inde ratem:
Sic iter in dubio est; animus quoque, voluor vtrimque,
Et mens consilijs statque labatque suis.
Vicit at improbitas, blandæque licentia vitæ,
Ipsa dedi faciles in mala fata manus.
Ad Circes scopulos, insanaque regna Diones
Deferor infami, per loca vasta, pede.
Nox potuit celare fugam, non crimina: *Nocte Astra vident*: astris nil ego mota fui.
O mala nox! mala noxa! nigris tumulanda tenebris!
Hac ego cum fugi, nil mihi lucis erat.
Iam nostrum visura nefas, patruique dolores,
Perfidiæ testis, lux erat orta meæ.

Vt primo vidit rubuisse cacumina Phæbo,
Protinus ad solitas me ciet ille preces.
Irrita vox fertur: cessit procul improba neptis,
Æmula nequitiæ, prodige, facta tuæ.
Extemplo reserat mœsta cum voce fenestram,
Aspicit, heu! vacuos, & sine nepte lares.
Neptis vbi es? clamat, resonat clamoribus antrum;
Neptis vbi? pudor est! dicere, neptis vbi.
Perdita neptis erat, dulci delusa veneno,
Grandibus hinc guttis proluit ora senex:
Ora sinusque, pauimentumq; natare videres.
(O Abraham damnis illacrymate meis!)
Bis canis Erigones nostros lustrarat amores,
Et Patrui lacrymas bina notarat hiems.
Ille, bonæ dum mentis inops mala gaudia sector,
Pro deploratâ virgine vota facit.
Nec facit incassum: delabitur æthere somnus,
Mox noua sopito pectore monstra videt.
Cæruleum spectat metuendâ mole draconem,
Qui vomat horrificas ore, oculisque faces.
Rictibus hic patulis, & auaro pronus hiatu
Fertur in exitium, blanda columba, tuum.
Ah! fuge, quid cessas? volucris miseranda repente
Ni fugias, rabidi præda draconis eris.
Quo ruis? exclamat gemitu rumpēte soporē,
Redde meam immanis bellua, redde meam.
Plaudite: reddita sum, vomuit fera bellua prædam:
Ille sopor nostræ signa salutis habet.
Discere, & hoc vultis quonam sim reddita pacto?
Discite: res fastos postulat illa suos.

ELEGIA X.

Felix eiusdem in eremum regressus, operâ S. Abrahami.

PAtruus vt raptam (quid non amor optime cogis?)
Quæreret, orbati Daphnidis instar, ouem.
Ibimus hinc, inquit, prędam rapiemus auerno,
Et fluet in nostras salua columba manus.
Sit caro, sit mundus, sit contra tartarus vnum,
Mox spolium felix de tribus vnus agam.
Arte perit Satanæ neptis, repetemus & arte,
(Quis vetet ingenuis artibus esse locum?)
Induit arte sibi vestes venator, & anceps,
Captet vt hic volucres, vincat vt ille feras.
Ipse nouam meditor (facilis *Deus* annuat) artem,
Vt cadat in casses præda cupita meos.
Dixerat: extemplo sibi militis aptat amictus,
Mutat & aurato squallida texta sago.
Militat ad læuam gladius spectabilis auro,
Succingit medios byssina zona sinus.
Hactenus impexos disponit in ordine crines,
Et speculum, quo sit iam speciosus, amat.
Et ne quid desit formæ, tegit ora galero,
Ora prius nudo vertice passa niues.
Et suris ocreas, ocreis calcaria promptus
Adijcit: ingenij est nempe sagacis *Amor*.
Quin digitos gemmis, & collum torquibus ornat,
His, inquit, poterit forsitan illa capi.

Quid moliris *Abram*? quæ te noua cura fatigat?
An nouus in veteri pectore flagrat amor?
Flagrat amor, sed castus amor, sed virgine dignus,
Hoc duce non tritas tentat inire vias.
Quam bene, quâ placeat, speciem sibi fingit amantis,
Quam bene, de superis arsq; decorq; venit.
Hebræi regina chori, fortissima *Iudith*,
Hos p: truum docuit forsitan ante dolos.
Quidquid id est, placeat; quoniam placet ista Tonanti
Fraus bona, fraus prædam mox habitura suã.
Personam mentitus *Abram* sic militis exit
Nota petens celeri mænia vectus equo.
Euolat extemplo stimulis ardentibus actus,
Trans iuga, trans saltus, flumineasque vias.
Non ita præcipiti per plana, per ardua cursu
Impatiens raptis fœtibus vrsa, ruit.
Non ita vicinum miles generosus in hostem,
Fulget vbi prædæ spes melioris, abit.
Ecquid ages, *Maria*? tuæ nunc imminet vrbi
Patruus: hospitij iam propè tecta subit.
Euocor, occurro: vultum mirata, requiro,
Tune senex cano vertice, forsan amas?
Ah! amo, clamabat: lacrymas vix continet ipsa
Continuò sensi pectoris ima quati.
Hic aliquid latet, aio, gerit plus milite miles
Iste, senex solito plus sapit ille sene.
Luminibus fixis hominem dum perlego totum,
Nescio quis sacer est visus in ore nitor.

Pertimui, tacitoque, metum pallore fatebar,
Heu! patruum metui, quodq; verebar, erat,
Ipsa mihi certè, sunt ora simillima, dixi,
Excipias vestem, cætera patruus est.
Patruus est *Maria*, tuus, tuus, inquit alumnus,
Hæc mihi, quæ spectas, arma parauit amor.
Militat omnis amãs, & amãs volo iure vocari:
Et te sic, quamuis non merearis, amo.
Hæc tibi sumpta toga est; felix quoque miles habebor,
Militiæ fias si modo præda meæ.
Eia age, quid trepidas? patruum sub milite cernis,
Aspice: quid muto pressa dolore siles?
Ipsa velut tonitru, vel fulmine quassa iacebã,
Attonitæ non vox, non mihi lingua domi.
Vt voci laxauit iter dolor intermissus,
Patrue mi, dixi, non sapienter amas
Indignã, immemorem cœlique, tuique, suique,
Dignam erebo, dignam fulminis igne peti,
Ah, sine me, moriar perstricta pudore, dolore:
Quin fugis? aspectus te facit iste reum.
Non ita neptis, ait: facilè dant astra regressus,
Admittit reduces quælibet hora reos.
Si fuga fœda fuit, reditus laudabilis esto:
Sera bonis nunquam moribus ista via est.
Nulla mora est, redeo: tecum noua bella capessam,
Subque tuis aquilis iam noua miles ero.
Imbelles thyasi, genialis turba valete.
Et iocus, & veneres, & sine fronte sales.
Insanisse semel, satis est. detestor amores
Seu male mũde tuos, seu caro fluxa tuos.
Nunc mihi delicium est, (si me dignetur) *Iesus*,
Huius erit lacrymis conciliandus amor,

Ergo opus est nimbis, opus auxiliaribus vndis,
O *Abraham*! nostris fletibus adde tuos.
Vix duo sufficimus, (scelerum contagio tanta est)
Tu tamen è cunctis aptior vnus eris.
Sum maculosa licet tigris, mox instar oloris
Candida, si tua me spongia tergat, ero.
Parce *Deus* iam plorat *Abram* pro nepte: scelestam
Se quoque flet neptis perdita: Parce *Deus*.
Nomen *Abram* moueat, placuit tibi maximus olim
Tharaidesque senex, Isacidumque parens,
Nec minor hic illo est, virtutum & nominis hæres,
Sic reor, antiquis æquiparandus auis.
Te quoque *Maria* flectat venerabile nomen,
Est tibi *virgo parens*, nomine digna suo.
Nomen amo, quamuis hoc indignissima: pridē
Obruimus tetris nomina clara notis.
Virgo sola sui mensuram nominis implet:
Virginis & dominæ nomen inane gero.
Maria titulos, vitijs sat nota, relinquo:
Ancillam si me dixeris esse, placet.
Sed mihi præripuit dudum hoc *Virgo inclyta* nomen,
Ancilla laus est ambitiosa nimis.
Quid superest igitur? *peccatrix improba dicar*,
Hic titulus, noxas dum lauet vnda, quadrat.

LACRYMÆ DAVIDIS *Latronis.*

ARGVMENTVM.

DAuid latro olim famosissimus iuxta ciuitatem dictam Hermopolim, à cruento viuendi genere, ad vitam religiosam miro planè modo traductus, inter preces & lacrymas, (quas præteritorum memor facinorum, ante Christi in cruce pendentis effigiem fundit) ab angelo cælitus misso meretur audire, sibi cōdonata esse peccata cui non satis credulus, vt *Zacharias* alter, mutus efficitur, vsu tantum linguę ad diuinas laudes illi concesso. *vide in vitis Patrum, pratum Spirituale. c.* 143.

ELEGIA XI.

Dauid Latro supplex ante Christi Crucifixi imaginem, in varios prorumpit affectus.

O qui funereâ pro me trabe pendulus hæres,
Quique cruentato vertice fata subis,
Aspice me, licet imeritū; latro perditus adsum,
O vtinam lateris sim comes ipse tui.

Stipat

Stipat vtrimq; tuam, fortuna dispare, furcam
Prædo, sed hac furca dignior alter adest,
Alter adest, permitte, vices sup plebo latronis,
Qui te sacrilego pernegat ore *Deum*.
Non ego te, fremat vsque licet recutitus Apella,
Et coniurato cum phlegethonte ruat,
Non ego te, (velut hic periurus agyrta) negabo:
Hæc erit æterno firmior ære fides.
Ergo age fatali da tecum incumbere trunco,
Criminibus nostris congruit ille locus.
Sublimi fuero si fixus in arbore tecum,
In tali felix arbore fructus ero.
Hactenus exegi steriles sine frugibus annos,
E *Cruce*, fertilitas tota petenda mihi est.
Hac sine, sum palmes succisus, inutile lignum,
Stirps mala, tænareo præda voranda rogo,
Ah! *Iesu*, meliora! *Cruci nunc inserar*. illic,
Quæ tribuat vitam, tu mihi *vitis* eris.
Insitio abnuitur? certè, (quod nemo vetabit)
Iniiciam cupidas in tua colla manus.
Oscula nunc manibus, nunc plantis oscula figam,
Pace tua, & lateri basia crebra dabo.
Interea clamore pio mulcebimus aures
Siue tuas, *Iesu*, siue, *Maria* tuas.
His ego nominibus, licet indignissimus, vtar,
Subuenient causæ nomina tanta meæ.
Est *aliquid litus magnos habuisse patronos*,
Causa perorata est; si mihi *Virgo* fauet.
Nam tua, Christe, *Parens* dici tutela reorum
Optat, & hos titulos iam legit ara frequens.

Per Te igitur, *Iesu*, per matris nomina parce,
Parce age *Dauidi*, si finis ipse, tuo.
Parcere prædoni, non est noua gratia: Mater
Testis erit, collis golgotha testis erit.
Sat tua iam pridem clementia nota latroni,
Qui tibi commoriens in cruce dexter erat.
Hic bonus orator paucis te flectere verbis,
Et regni potuit iura referre tui.
Nil ego tot fusis lacrymis, gemituque profundo?
Nil potero verbis, verberibusque nihil?
Sum latro, sed *Dauid*: *Dauidis* nomine parce,
Ille tuus vates, Rex fuit ille tuus.
Prodesset *Dauid*, *Latro* nisi nomen obesset.
Exime *Latronis* nomina, *Dauid* ero.
Qualis erat quondam, multo cum diluit imbre
Illicitasque faces, sanguineumque nefas.
Qualis erat, quando posito diademate, supplex
Flebilibus cecinit carmina fracta modis.
Dauid talis ero. longum est, ero. sum modo, nostra
Discrepat à vero forma *Dauide* nihil.
Te moueat miseranda noui *Dauidis* imago,
O *Deus*? ô mœstis vna medela reis.
Vix bene *Dauidem* monuit de crimine *Nathan*,
Mox veniam lacrymis impetrat ille suis.
Ad veniam facilis, veniam concede dolenti,
Mollis es, & fletu mollior esto meo.
Dum dicas bona verba, crucem complectar amicam,
Imber inundabit, quem modo tango, locum.

Quid.

Quid cunctaris adhuc, *Iesu* mitissime rerum?
Omnis amara mora est; parce, vel emorior.
Forsitan expectas, vt vocibus æthera frangam,
Nil moror: ad gemitus libera facta via est.
O nemora! ô montes! ô crimina nostra, latebræ!
O specus infandis fœda latrocinijs!
Vos sociæ scelerum, sine lege, sine ordine turbæ!
Execror & vitæ, probra pudenda meæ.
Sic latuisse piget: melius nunc claustra colemus,
Has latebras, alijs nunc inimicus, amo.
Viximus in tenebris, & opaca nocte: deinceps
Luminibus potiar, lux mea Christe, tuis.
Illa dies felix, quæ me transscripsit olympo,
Hac sine, perpetuâ nocte sepultus eram.

ELEGIA XII.

Narrat suam conuersionem, & Dei erga se benignitatem, &c.

HErmopolim iuxta, nemorum grassabar in vmbris,
Abdebat nostros collis & vmbra dolos.
Hic ego tincta, tamen necdum saturata vibrabam
Tela, per oppositi pectus itura viri.
Cum subitus mentem, radius ferit: vnde repentè
Terruit aspectus vita nefanda meos.

Et pariter tenues vox est illapsa per auras,
Siste tuam, *Dauid* impie, siste manum:
Iam satis innocuo lusit tua sica cruore,
Fac modo sanguineis imbribus acta laues.
Ni facis, extemplò Nemesis ruet: inque flagranti
Te malè mulctandum conficiet scelere.
Hæc vbi dicta: pauor gelidos peruasit in artus,
Et cecidit tremulâ sica cruenta manu.
Quisquis es, exclamo: sequor, ô sequor. æmula turba.
Criminis, & lacrymis nunc comes esto meis.
Hinc fluxere meæ primordia læta salutis:
O bona lux! fastis annumeranda meis.
Vnde mihi lux illa, *Deus*, scelus inter & arma?
Hic *digitum*, & *totam* numinis esse *manum*.
Iam satis agnosco, Vicisti, prodige *Iesu*,
Vtere, sum manibus præda subacta tuis.
Qualis fulminea *Saulus* prostratus in ira,
Luce tua, *Iesu* maxime, voce tua,
Et vitam in vitâ, lucemque in luce requirens,
Quid faciam, dixit, lux noua, quid faciam?
Sic ego nil *Saulo* dispar, sacra lumina vidi,
Sternor humi, intueor crimina, & inde pudor.
Pro tot flagitijs, tot cædibus, improbe *Dauid*.
Quid facies? nunquam, quidquid ages, sat ages.
Quidquid erit, satagam noxas pensare priores,
Hoc tamen & meriti gratia, *Christe* tui est.
Hos igitur cœlo canos, rugasque sacramus,
O vtinam vitæ tempora verna darem.

At malè præterijt breue ver: tibi bruma dicatur:
Ferueat, & flammas sentiat illa tuas.
Indulgebo dein sacris ardoribus: adsto
Ecce *Neoptolemus*, qui noua bella geram.
Iam didici mecum certare, & cædere memet,
Hic peccare nequit me feriendo manus.
Sic decuit bellasse prius: malè gessimus arma,
Ad genus hoc pugnæ sed rudis antè fui.
Vtere iuste dolor, fodicantibus acriter armis.
Queis merito plectar, dat mihi silua rubos.
En fluit, ô superi, lacero de corpore sanguis.
Parcite, per moueat vos meus ille cruor.
Si tamen ille nihil cælestia pectora tangit,
(Vile mei pretium sanguinis esse scio)
Ille, lytrum mundi, mundis vel mille piandis
Sufficiens, *Christi* defluus è latere.
Ille cruor moueat: veniam rogat ille nocenti
Fortior *Abelis* sanguine, sanguis hic est.
Vindicias alter fratris clamabat adempti,
Sed tuus arrha, cruor *Christe*, salutis erit.
Aut tuus, aut nullus: vitæ spes omnis in illo est,
Hanc age confirma dexteriore nota.
Fallor? an emicuit diuinus ab æthere fulgor?
Errat & ante oculos splendida forma meos?
Ales adest, video: fulget lux prospera, spera:
Audio: spe veniæ iam propiore beor.
Vox bona! condonat commissa piacula Numen,
Gaudeo: sed turbant gaudia nostra metus.

Dicta placent: tantis sed mens male credula dictis.
Fluctuat, & verum, quod timet esse cupit.
Hei mihi! dum titubo, linguæ me deserit vsus,
Vix medios reddit lingua retenta sonos.
Tarda fides nocuit: detur, *Deus optime*, de te
Posse loqui, satis est; cætera mutus ero.

RHYTHMVS ANACREONTÆVS,

In Psalmum L. qui incipit:

Miserere mei Deus &c.

TRibunal ad tremendum
Reus adsto sordidatus:
Graue fulmen hic verendum,
Nisi prodit aduocatus.
Sed in hoc foro quis ausit
Misero patrocinari?
Mihi crimen ora clausit,
Lubet ergo lacrymari.
Miserere lacrymantis
Deus alme, cerne vota:
Miserere supplicantis
Miseratione tota.
Tuæ seueritatis
Mihi nota magnitudo,
Genus huius æquitatis
Timet ipsa pænitudo.
Age, pone tristioris
Subsellij rigorem,

Resu-

Resume mitioris
Clementiæ tenorem.
Delicta multa multam
Poscunt benignitatem;
Remitte, quæso, mulctam
Delens iniquitatem.
Commissa ter quaterque
Et amplius lauato;
Hoc millies, superque
Cor rursus expiato,
Fullonis arte tergi
Nequit obsoleta labes,
Salubriore mergi
Hæc debet amne tabes.
Ah! nosco, serò nosco
Sceleris luem nefandi:
Maculosus hinc reposco
Superûm lauacra pandi.
Hei! semper illa, & illa
Admissa me flagellant,
Et (nec quies pusilla)
Velut atra monstra bellant.
Quousque me nocentem
Exactor, insequêris?
Habes reum fatentem,
Grauiora ne mineris.
Soli tibi, supreme
Simul & seuere Iudex
Peccauimus: sed in me
Humanus esto vindex.
Ne tende, quæso, mecum
Nam litigando vinces:
Est omne ius, & æquum
Quod iudicando dices.

Sed,amabo,parce flenti,
Vt sic vbique mitis
Celebrere,pænitenti
Errata dum remittis.
Scis, quando fabricasti,
Molitor orbis *Euam,*
Ex fraude Protoplasti
Labem mihi coæuam.
Necdum parente natus
Hac luce perfruebar
Tamen intus inquinatus
Tibi grauis offerebar.
Hoc fonte fæda fluxit
Sentina tot malorum,
Culpamque culpa duxit
Originem dolorum.
Vel sic tamen malignè
Tenuare nolo noxas,
Succurre sed benignè
Qui me pauore vexas.
Verum tibi fatebor
O veritatis auctor,
Malè namque me tuebor,
Si sim mihi ipse fautor.
Scelus,ah!scelus pudendum
Vates tuus patraui,
Ad operta peruidendum
Qui lumen impetraui.
Vbi diûs ille splendor?
Vbinam fides canoræ?
In nocte deprehendor,
Lyra torpet ex dolore.
Hinc te reus, gemensque
Ploratibus lacesso,

Nec, pallidus tremenſque
Malè geſta flere ceſſo.
Herbâ piaculari
Aſperge me nocentem,
Si ſic queam lauari,
Vincam niuem recentem.
O! quandonam *Dauidi*
Dicetur? acquieſce.
Lacrymantis ora vidi,
Tibi parco, nil paueſce.
Si nuncius beatus
Aures meas feriret,
Animus iugo leuatus
Properanter exiliret.
Quid noſtra tam ſeuerè
Speculator, intueris?
Decet iſta ſubmouere
Portenta, ne graueris.
Age criminum meorum
Ab atrocitate vultus
Deflecte, tot probrorum
Sit horror hic ſepultus.
Tamen iſta ſi ſagaci
Oculo lubet videre,
Ope, potes, efficaci
Plagis meis medere.
Scrutans malum profundum
Ad intimas medullas,
Mihi Cor refinge mundum
Maculas relinque nullas.
Meliore ſeu colore
Opus aurifex refundit,
Et elegantiore
Faber arte vaſa condit,

Ita

Ita nunc, placente norma
(Rogo te gemente lessu)
Mentem mihi reforma
In viscerum recessu.
Tuâ quidem repulsa
Sum dignus vsquequaque,
Clementiaque pulsa
Arcendus vndequaque
Ah! me tamen misellum
Oculo benigniore
Dignare, ceu catellum.
Placidoque cerne more.
Tutare me trementem.
Tuus ille (nam propinquat)
Ne *Sanctus* immerentem
Me *Spiritus* relinquat,
Ex quo tuus, regente
A Te *Dauid* recessit,
Hæc ossa derepentè
Grauis ægritudo pressit.
Salute restituta
Mihi gaudium redona.
Mens lota, læta, tuta
Præit vniuersa dona.
Tum *Principalis* ille
Deoque rege dignus
Cor, *Spiritus*, rebelle
Regat vt fidele pignus.
Hoc, me, *Deus*, cupito
Fauore si beâris,
Mihi calcar expedito
Decus in tuum pararis.
Tua iussa, me magistro
Scelerata turba discet;

Et

Et ducta ceu capistro
Rectam viam capesset.
At ecce turbulenta
Ducis vmbra funerati
Facie ruit cruenta
Vltoris incitati?
Fusi minas cruoris
Auerte, sospitator,
Fiam tui, fauoris
Vbique buccinator.
Dolore, vel pudore
Heu! muta labra pande,
Pleno canemus ore
Tua facta digna laude.
Si multus hostiarum
Sanguis tibi placeret,
Cruore victimarum
Altare iam maderet.
Tibi nulla sed cupitum
Holocausta dant odorem,
Scio, quid sit expetitum
Dulcem ferens saporem.
Gratum tibi litamen
Est *Cor* dolore tactum:
Nec tu, supreme flamen
Spernis gemendo fractum.
En *Cor* meum valenti
Incude malleatum,
Solui sono potenti
Tristem rogat reatum.
Igitur mihi malorum
Præbens remissionem,
Fac diuitem bonorum
Tuam, *Deus, Sionem*

Vitiſque mænibuſque
Solyme beata creſcat,
Et pace,legibuſque
Nil,cincta,pertimeſcat.
Felicitate tanta
Concede nunc potiri,
Delubra ſacroſancta
Curabo mox adiri.
Thymiamatis calentis
Libatione carâ,
Et victimis trecentis
Fumabit omnis ara.
Ibi corde tunc flagrante
Tibi totus immolabor,
Superoque,ſicut antè,
Ab amore concremabor.

RHYTHMVS TROCHAICVS, CONDVPLICATVS.

In Pſalm.129. qui incipit,

De profundis clamaui ad te Domine &c.

Declaratur hic vehemens deſiderium peccatoris optantis, ex profundâ malorum abyſſo,diuinâ opē liberari,&c.

HEu! profundis merſus vndis,
Et nigrâ voragine

Cla-

Clamo fessus, clamo pressus
Horridâ caligine,
Eia mundi rector audi
Supplicis suspiria,
Et benigna redde signa
Cælitum de curiâ.
Ex abysso, fune misso
Charitatis, eripe,
Nec minaci, nec voraci
Me furore corripe.
Intereo, nec redibo,
Ni misertus extrahis,
Spes salutis destitutis
Quid moras, heu! protrahis?
Erubesco, conticesco
Erro mentis inscius,
Plurimorum dum malorum
Voluor istic conscius.
Praua dicta, sensa, facta
Iure si vis plectere;
Summe Prætor, iuste censor
Quis queat subsistere?
Nemo, nemo, vel supremo
Fixus in cacumine,
Te tonante, teque flante
Tutus est à turbine.
En procella testis illa ex-
-terminatrix dæmonum,
Quæ tot astra, sic in atra
Vertit ora Gorgonum.
Qui micabant, quique ouabant
Aureis fulgoribus,
Nunc rotantur; nunc cremantur
Igneis ardoribus.

Prime motor, fortis vltor,
Iuris omnis arbiter,
Quando noxis prouocaris,
Quam flagellas duriter!
Eia lenis, parce pœnis,
Quas grauis culpa exigit:
Mors parata, ni vocata
Dexteram *Spes* porrigit.
Erigorque, subleuorque
Non leui fiducia;
Palpitantem dîa mentem
Dum subit clementia.
Hanc in imo fixa limo
Vsque & vsque sustinet
Mens grauata, quam beata
Numinis spes continet.
Quotquot estis in molestis
Fluctibus, concurrite.
Luce tota, nocte tota
In *Deo* spem figite.
En parentis nos fouentis
Ipsa proles vnica
Lapsa cælo, mersa cæno
Corda tollit lubrica:
Dumque mundat, en redundat
Vnda fusi sanguinis:
O litamen! ô piamen
Balneumque criminis!
Euge siste, tanta, *Christe*,
Non decet profusio,
Copiosa, gratiosa
Sat patet redemptio.
Hæc ab vndis me profundis
Eximet feliciter,

Tutus ibo, nec peribo
Nixus hac *Spe* firmiter:
Vt triremis acta remis
Mota ridet æquora,
Amphitrite quam fremente,
Sacra fundat *anchora*.

RHYTHMVS TROCHAICUS, seu ode funebris.

De signis extremum Iudicij diem præcedentibus.

HVc viator flecte gressum,
Huc amica lumina;
Lacrymosum cerne sessum,
Et gemenda carmina.
Quæ reposcit lux propinqua
Imminentis Iudicis,
Lux tremenda, tristis, in quã
Signa spectas vindicis.
Nulla cæli, nulla terræ
Pars vacat formidine:
Quis valebit ista ferre
Absque firmitudine?
Ponderator ecce iustus
Michael ab æthere,
Fulminantem non inultus
Aptat ensem dexteræ,
En vtrimque *Væ!* gemendum
Buccinator insonat;

Impiatis væ pauendum
Legirupis intonat.
Pallet atra fronte Phœbus,
Pallet & Phœbi soror,
Nulla constat lux diebus,
Furuus est mundi color.
En cometæ crine sæuo
Dira portant funera:
His ab omni nullus æuo
Æqua vidit sidera.
En procellis turbulentis
Claustra laxat Æolus,
Cuncta cedunt quassa ventis,
Ipse formidat polus.
Horret auris, horret æther
Ad sonos tonitruum,
Vultus est vbique teter
Ad sagittas fulminum.
Dira grando, dirus imber
Mixtus exit sanguine:
Nemo ab illa clade liber
Et seuero turbine.
Ardet aura ceu caminus,
Aut domus vulcania:
Quis quietus, aut supinus
Cernat hæc incendia?
Conticescit præ pauore
Alitum melodia,
Non aëdon mulcet ore
Aëris cauædia.
Mons aquarum celsa tangit
Montium cacumina,
Nullus obex vasta frangit
Fluctuum volumina.

Deprehensa nauis alto
Voluitur sub æquore,
Pisciumque turba multo
Assilit cum murmure.
Anne fallor? insolenti
Terra concussu tremit?
Dira motus causa venti,
Totus hinc orbis fremit.
Vah! cruenta tunc ciebunt
Bella gentes gentibus;
Vnde talis, cum pauebunt
Heu! furor dementibus?
Pone pone miles arma,
Instat æui terminus;
Vile fies mox catharma,
Mors minatur cominus,
En nigrante fœda vultu
Densa gens mortalium,
Contremiscit hoc tumultu
Temporum fatalium.
Pars in antra belluarum
Belluis frendentibus
It, futura mox ferarum
Præda sæuis dentibus.
Pars in alta confragosæ
Rupis euadit iuga;
Alpis aut caput niuosæ:
Sed nimis sera est fuga.
Antra nulla, nulla prorsum
Protegent te culmina,
Tende sursum, vel deorsum,
Sunt vbique fulmina.
Iam valete laureata
Cæsarum palatia,

Sceptra, mitræ, regna lata,
Cuncta sunt fallacia.
Ibit orbis in fauillas
Igne formidabili,
Nec ruinas flebis illas
Voce lamentabili?
Sors dolenda! clara mundi
Corruunt fastigia,
Cras stupebis hic recondi
Vrbium vestigia.
Eia quisquis signa cernis
Iudicis nouissima.
Quære viuens in supernis
Regna felicissima.

TROCHAICVS RHYTHmus funebris.

De ipso extremi Iudicij die.

PLange, plange luctuosa
Turba mœsta nænia;
Iam videbis lacrymosa
Dramatis proscenia.
Ecce prodit ipse Iudex
Iudicum ter maximus,
Est tubarum clangor index
Et sonus nouissimus.
Surge turba clausa bustis;
Iam tribunal panditur.

Inde:

Inde prauis, inde iustis
Digna merces redditur.
En refulget *Crux*, Sionis
Iudicis prænuncia,
En vtrimque *Passionis*
Promicant insignia.
Surge turba: redde *tethys*
Redde *tellus* debitum.
Turba surgit: nec stupetis
Agmen ingens redditum?
State cuncti: Tu sinistram
Hœde turpis occupa,
Vos *oues* adite dextram,
Nulla iam sæuit lupa.
State sontes, state sancti
Iudicandi splendidè,
Ecce sedit in micanti
Prætor altus Iride.
Clara cuius ora fulgur,
Verba sunt tonitrua,
Iam sonabit grande murmur,
Iusta reddens februa.
Stipat ala multa primi
Præsidis subsellium,
Quin verentur hunc & imi
Ordines rebellium.
Hic volumen proferetur
Quod patebit omnibus!
Quantus horror, cum legetur
Clausa noxa cordibus,
Noxa tristis, noxa dira,
Noctis atræ filia,
Quam Tonantis plectet ira,
Ima torquens ilia.

In bilance nam seuerâ
Ponderabit crimina,
Moxque ponet, sorte vera
Omnium discrimina.
Nil *Nerones* purpurati,
Nil potentes *Iulij*,
Nil *Marones* laureati
Nil queunt, hic *Tullij*.
Sola *Virtus* hic perorat,
Sola flectit præsidem;
Cæsar omnis hanc adorat,
Nec meretur obsidem.
Lucis huius dum recordor
Palleo supplex reus;
Ad tribunal dum vocabor,
Parce quæsitor *Deus*.
Orbe toto palpitante
Quid valebo proloqui.?
Ora claudam, te tonante
Hic nefas est obloqui.
Contremiscam, te sedente
Causa dum tractabitur,
Res agetur, me tacente
Quæ dein vulgabitur.
Ritè causa quid peracta
Sit futurum fesciam,
Namque Iudex lite dicta
Proferet sententiam.
Ite, dicet criminosis
Ad profunda tartara:
At *Venite*, gloriosis
Ad suprema sidera.
Vox tremenda, vox *Abite*,
Fulminatrix criminum.

Vox amica, vox *Venite*
Muneratrix cælitum.
Illa lætam tunc benignis
Vox dabit Comœdiam,
Illa mœſtam ſed malignis
Vox dabit tragœdiam.
Plaude, plaude ter beata
Turba feſtis cantibus,
Nam triumphas deſtinata
Gaudijs perennibus.
Plange, plange ſempiterno
Turba clauſa carcere,
Eiulabis æuiterno
Non pianda tempore.
Inter vmbras, inter imbres
Sulphuris torqueberis,
Væ! nitratos inter ignes
Rugiens cremaberis.
O cauernas! ô tenebras!
O atrox *Æternitas!*
Omnis inter has latebras
Regnat infelicitas.
Eia quiſquis huius audis
Actionis exitum,
Diſce cautus, quando plaudis
Hunc vereri tranſitum.
Eia donis adlabora
Demereri Iudicem,
Non pauebit hac in hora
Qui ligarit vindicem.

Finis Libri Secundi.

PIARVM LACRYMARVM FONS; SIVE LIBER III.

LACRYMÆ S. HIERONYMI.

ARGVMENTVM.

S. *Hieronymus* in Syriç eremo, Chalcidis nomine, iuxta fluuiũ Orontem, aſperrimam carnis luctã, eiuſq; aſſiduitatem deplorat: vide eundẽ ſua prælia deſcribentem, *Epiſtola* 22. *ad Euſtochium.*

ELEGIA I.

INter Orontæos fines, & Chalcidis oras,
Torret vbi Syriam Phœbus anhelus humum,
Quatuor autumnos, certaminis inteſtini
Perpetuis preſſi, perpetuiſque malis,
Fleuimus, at fletus leuis eſt medicina malorũ,
Fortius hoc aliquid plaga virilis amat.

Planximus, & nostris sonuit plangoribus æther,
Fregimus & tortâ pectora nuda manu.
Vos superi testes, vos sidera noctis ocelli,
Testis erit Titan, Cynthia testis erit.
Vos quoque vicinæ, reboantia culmina, rupes,
Conscia singultus tuque caverna mei.
Testis eremus erit, ploratibus ebria nostris,
Ast ego, ne plures poscite, testis ero.
Testis Ego: spectate manus, sunt verbere quassæ,
Pectus hiat; saxum molle fit; ossa labant;
Antra gemunt; fera flagra rubent: mecum omnia clamant;
Nulla repercussis ictibus hora vacat.
An satis? ô Diui, dabitisne quiescere? nemo
Annuit: huc vultus flectite, nemo iuuat.
Ergo iterum in lacrymas, lamentaque nota vocamur?
Rursus & in planctus brachia fessa ruent?
Ibimus, *O IESV*, rursum ibimus impete toto,
Dum cadat ante tuos dextera fracta pedes.
Omne aeuum, bellum est: sunt hæc oracula *Iobi*.
Ah nimium veri nomina vatis habet.
Crudelis statio! tenero meditamur ab vngue
Prælia, vix natus somniat arma puer.
Et puer, & Iuuenis: iuuenum sæuissima pugna est,
Sunt quoque bella viro, sunt quoque bella seni.
Creditis experto: mihi credite, credite Iobo,
Perpessi furias Martis vterque sumus.

Nec sumus hic soli: cunctos feralis Enyo
Aggreditur: sed me durius illa quatit.
Esse quid hoc dicam? gelido stat pallor in ore,
Arida vix tenuis contegit ossa cutis.
Ipse mihi funus videor, spiransque cadauer,
In tumulum viuens, emoriensque trahor.
Est spelunca domus, lacrymæ sunt pocula, longa
Esuries cibus est, frigida saxa torus.
Et tamen hæc inter, caro squalida, solibus vsta,
Pressa fame, macie lurida, tosta siti,
Liuida verberibus, lapidosis saucia pugnis,
Hei! mihi, inaudito bella furore ciet.
Iussa mori toties, necdum benè mortua viuit,
Est cinis, at cinis hic igne latente calet.
Huius vt effugerem discrimina proxima flammæ,
Venimus in latebras, auia ereme, tuas.
Romuleas retrò, speciosa pericula, pompas
Liquimus, & domino triuimus ista pede.
Fugimus hos, medijs qui lucent vrbibus, ignes,
Queis, nimis in fatum prona iuuenta perit.
Omnia deserui blandæ irritamina culpæ,
Vt me desererem, nulla reperta via est.
Infelix, mihimet sum pondus, carcer, & horror,
Cogor & inuitus propria vincla pati.
Viuimus inter apros, tigresque, ferosq; leones,
Non leo, non aper est, nec mihi sæua tigris.

Sola caro metuenda mihi est : hæc fata minatur,
Qualibet hoc vno mitior hoste, fera est.
Mœsta loci facies, animos horroribus implet,
Hinc tamen ad ludos mens vaga sæpe redit.
Ite procul veneres, venerisq; facessite laruæ,
Non facit ad vestros aspera terra iocos.
Cernite præruptos immani vertice montes,
Fulminibus fractis conuenit ille locus.
Cernite depressas inter iuga frondea valles,
Fluminibus lentis vix via nostra patet.
Fama fatigatis vix huc delabitur alis.
Hæc Boreas lasso vix subit antra pede.
Et tamen huc venient mollissima turba, lepôres?
Ducet acidalios huc Erycina choros?
Erratis : non est, non est domus ista lepôrum.
Hæc dolor, hæc lacrymæ scrupea saxa tenent.
Saxa tenent lacrymæ : lacrymas nec saxa veretur,
Saxea quæ mollit viscera, blanda Cypris.
O Luctam! ô sortem lacrymabilium ærumnarum!
Hos inter filices, marmoreosque specus,
Has inter salebras; fœdum ac miserabile visu!
Mancipium Dominæ barbara bella mouet.
Quis tibi serua caro, dedit has in pectora vires?
Quis tibi tot flammas, tot tibi tela parat?
Quid facies viuens, si sic emortua vexas?
Quid facies victrix, sic vbi pressa furis?

Fis leo, fis vulpes; docet istas tartarus artes,
Scilicet vt vincas, vimque dolumque paras.
Agnosco: vim vi, fraudemque repellere fraude
Discimus, inque tuâ pingimus arma cute.
Tu tibi bella cies bellatrix impia; certè
Quòd palles, quòd habes vulnera multa, tuum est.
Non mihi pax tecum, licet vsque proterua reclames,
Non mihi pax tecum, sidera testor, erit.
Experiere meas, ô lena domestica, palmas,
Dum posito mecum viuere Marte velis.
Non tamen astutæ nimium credemus hyænæ,
Insidias didici, suada maligna, tuas.

ELEGIA II.

Inuehitur in carnem, quod viros etiam illustres lacessat; quorum exemplis se animat, demum à Christo crucifixo opem petit, & obtinet.

O Insana bonæ vexatrix addita menti,
Quis tua dum numerat prælia, tutus erit?
Ingentes animos, & mascula pectora (noui)
Ausa tuis quondam es sollicitare dolis.
Dicere nolo tuos, ludibria nostra, triumphos,
Quos nimis ex omni gente, licenter agis.
Vah! pudet opprobrij! veteres dum perlego chartas:
Ipse nouum pugilem, qui tibi certat, amo.
Hilarion nouus est, tota dux clarus eremo,
(Quem mihi fautorem, Marte furente, velim.)

Ille-

Illecebris fuit ille tuis, telisque petitus,
Illecebras spreuit sed puer ille tuas.
Venerat in steriles, aulai transfuga, saltus,
Et rudis ad pugnam, nec satis aptus erat.
Grande rudimentum viridi ponebat in æuo,
Tunc iuuenum princeps, gloria deinde senum,
Vidit, & inuidit tantis conatibus orcus,
Militiæque parat frangere cœpta nouæ.
Mox caro, mox Phlegethon iuuenilia pectora cingunt,
Ardet, & ignorat quid noua flamma velit.
Hei mihi! (clamabat) quid sentio? vulneror, vror,
Nescio quid sit amor, me tamen vrit Amor.
Flet, gemit obtestās, pugno præcordia tundit,
Sic expugnari te Cytherea putat.
Et benè: nam tali molimine, strenuus heros
Sæuitiem fregit, dire Cupido, tuam.
Vtimur his, sed & his, & longè pluribus armis,
Nostra pharetratus nōn timet arma puer.
Vtimur & *Pauli* memoranda, fortiter, arte,
Scilicet & *Paulos* nostra palæstra tulit.
Credat & hoc aliquis? sublimior ęthere *Paulus*,
Ille datus præco gentibus, ille gigas,
Numinis ille capax vates, & pegasus orbis,
Ille, cui totus vix pila mundus erat:
Ille (quid?) indignum queritur cum carne duellum,
Qua face, quo stimulo me petit hostis, ait.
Siccine (probrosum facinus!) caro bruta, lacesses,
Cælestes aquilas, magnanimosque duces?

Scin'

Scin' quid agis cum bella moues ciuilia? dicam,
Quod pecus indomitum, quod fera tigris, agis,
Quod puer improbulus, quod iniquæ mentis asellus,
Quod mala Xantippe, quod trucis oris equus.
Hæc mala virga domat: flecteris vindice virgâ,
Hoc scio, phryx viso verbere, sæpe sapit.
Hæc noua lex belli: proprio stat sãguine palma,
Nemo aliter victor, qui volet esse, potest.
Paule, tuas veneror, post horrida prælia, lauros,
Quà licet, & fracto corpore gesta sequor.
Hoc equidem fateor, longo propè marte fatisco.
Sed tamen in pugnam vel moriturus, eo.
Ars noua succurit: fœdos exturbat amores
Dius *Amor*. clauum trudere clauus amat.
Hoc quoq; præcepto fuimus non segniter vsi,
(Nam quid inexpertum vulnera nostra sinant?)
Tinctus erã latiâ, graiâ quoq; Pallade tinctus;
Hebræos didicit lingua coacta sonos.
Dumque rudi meditor stridentia verba palato,
Verbera cum verbis mixta fuere meis,
Omnia tentaui, quò te caro dira, domarem,
Tu tamen infrænis more resistis equi.
Per iuga, per scopulos, per inhospita tesqua vagamur,
Nil iuga, nil scopuli, nil quoque tesqua iuuant.
Fluctibus in tantis quid agam? quo carbasa vertam?
Obruit heu! nostrum pænè procella caput.

Quocumque aspicio, sunt omnia plena tumultu,
Intus lucta, foris terror, vbique dolor.
Insuper illa meam fatalis buccina mentem
Concutit,& mœsta voce, *Venite*, boat.
Pressus ad ima feror *Deus ô Deus* aspice mersum,
Aspice, & abiecto, quam potes, affer opem.
In cruce fixus Amor meus es: *Crucis* huius amore
Fac malus in fibris emoriatur amor.
Per latus hoc oro, diuino murice tinctum,
Qua sibi *Longini* lancea fecit iter.
Per caput hocce tuum, dumis & arundine quassum,
Per geminasque manus, per geminosque pedes,
Quos tenero supplex, madidoque deosculor ore,
Quos amo, quos lacrymis diluo, tergo comis.
His ego coniungar complexibus indiuulsis,
Dum mihi deposito suppeditaris opem.
Ludor? an arrisit *Iesus* miseratus amantem?
Sanus & exiguo tempore, dixit eris.
Dixit,& hinc sensi medijs exisse medullis
Tartaream, rabidi dæmonis arma, facem.
Ergo dein meus omnis amor, meus ardor, *Iesus*,
Dum vetus in cineres hic eat ignis, erit.

LA-

LACRYMÆ B. ARSENII.

B. *Arsenius*, duorum Imperatoris *Theodosij* filiorum præceptor, vitam aulicam pertæsus, in vastam solitudinem Scetim nomine, anno ætatis 65. secessit: vbi ad extremam senectutem, hoc est, ad annum 120. vixit, singulari omnium virtutum exemplo, iugi præsertim lacrymarum imbre perfusus. *vide in vitis SS. P. Ribaden. 19. Iulij.*

ELEGIA III.

Excusso aulæ iugo, solitudinis felicitatem commendat.

NVpera vox nostras etiamnum verberat aures;
Quæ mihi regali dixit ab arce fuge.
Si tibi cara salus, si sint in amoribus astra,
Si tibi grata quies, si grauis aula, fuge.
Fugimus, ô superi! quod si fuga sera videtur,
Parcite, difficili compede vinctus eram.
Quam metui, ne me nodò *Theodosius* aurêo
Stringeret, & rursum sub iuga, colla daret.

Profuit

Profuit *Arcadij* nobis furor: ille salutem
Attulit, indignâ dum parat arte necem.
Euasisse iuuat tot retia blanda, tot hostes:
Felix, quæ laqueis aucupis exit, auis.
Castigabo moras, vbi nunc mala vincula rupi,
Ocius æthereum corripiemus iter.
Cedit humus, tollor, nunc libertatis in ædem,
Ah! pudet, aula, tuum sustinuisse iugum.
Hinc rubor, hinc lacrymæ. serò licet, optima sector.
Quis vetat? *& senio est ad meliora locus.*
Omnia deserui, spes & fortuna valete,
Omnia sunt votis regna minora meis.
Tandem aliquid sceptris, & Cæsare maius habemus,
Parta quies: nunquam hoc tu mihi munde dabis.
Quam bene cum siluis vrbem, cum pace tumultus,
Cum lacrymis risum, cum gemituq; iocos,
Quam benè cum placido mutauimus æquora portu:
Hæc statio nostræ sæpè cupita rati.
O! quantum est aulæ, quantū discrimen eremi!
Hæc iuuat, illa nocet, hæc leuat, illa premit,
Ad mea delusi proceres spelæa venite,
Si lubet, exemplis & sapitôte meis.
Sum rudis, & tantæ, fateor, sum tiro palæstræ,
Sed tirocinij nunc dabo signa mei.
Aspera si primo vultu vos terret eremus,
State, sub horrenti cortice mella tegit.
Cernitis incisos vicino in marmore versus?
Discite, sunt priscâ verba notata manu.

Aula

Aula bonæ mentis, sacra virtutis alumna
Hic latet: extemplo, qui legis ista, subi.
Eia subi, penitusque nouos scrutare penates.
Illic delicijs plena theatra patent.
Obuia mox hilari requies placidissima fronte
Ibit in amplexus, hospita turba, tuos.
Ibit, & è lacero dum vellet pectore curas,
Educet facili gaudia casta sinu,
Gaudia, lætitiasque, animique leuamina mille.
Scilicet hos comites semper *cremus* habeto
Virtutum chorus omnis amat nemus, exul ab aula,
Esse pius quisquis nunc volet, illud amet.
Baptistas, *Paulos*, ingentia nomina cerne,
Macariosque duces, *Magdaleosq́;* lares.
His *pietas* agnata locis, hic diues *egestas*
Diuitias ridet, Cræse Midaque, tuas.
Liuor in his nunquam posuit vestigia terris,
Cæsaris ad rutilas excubat ille fores.
Hinc procul absistunt fraudes, pallorque tremorque,
Quid metuat qui nil, quod rapiatur, habet.
Fortè venena times? aurum fuge, nulla bibuntur
Fictilibus. tutas fons mihi promit aquas.
Sobrietas regina dapes proponit inemptas,
Et satis est, parcâ quod dedit illa manu,
Vobis sudat Arabs, vobis elementa laborant,
Nec vestram satiant ille, vel illa famem.
Ipse mihi sum verna, coquus, pincerna, minister,
Tolle superuacuos, aula superba, greges.

Hic

Hic mihi purpurei flores pro murice, saxum
Pro solio, viridis proque tapete torus.
Pro tecto cælum est, numen pro Cæsare, Diui
Pro ducibus, clara pro face Phœbus adest.
Pro fidibus philomela, frequens pro cantibus Echo,
Pro comitum turbâ fagus & ornus erunt.
Omnia dimisi, reperi tamen omnia. regnum,
Regem, aulam, proceres, gaudia, nomẽ, opes.
Plura quid expetitis? trahit ô trahit ista voluptas
Hoc potiunda magis, quo magè tarda venit.
Incipio nunc esse meus, mihi viuo: beata
Hæc demum vita est, viuere posse sibi.
Vos aliena tenent, alienis nutibus æuum
Ducitis: opprobrium est vincla aliena pati.
Nil metuo, nil opto, sat est. hæc summa bonorum,
Regia res, animi sceptra tenere sui.
Rex modo sum, calcamus opes, calcamus honores,
Rex sane est, quisquis spernere regna potest.
Prouehimur: loca me faciunt *deserta disertum:*
Vos volo riuales sortis habere meæ.
Hic circumfusas oculos iactate per oras,
Illecebræ dulces, queis rapiantur, erunt.
Aërij montes, iuga frondea, vallis opaca,
Vndique prospectus liber, aperta dies.
Perspicui fontes, vaga flumina, purior aura,
Vmbriferi saltus, contiguumque nemus,
Rus vacuum, benè conscia mens, spectabilis æther,
Et latebræ dulces, & sine teste locus,

In bilance nam seuerâ
Ponderabit crimina,
Moxque ponet, sorte verâ
Omnium discrimina.
Nil *Nerones* purpurati,
Nil potentes *Iulij*,
Nil *Marones* laureati
Nil queunt, hic *Tullij*.
Sola *Virtus* hic perorat,
Sola flectit præsidem;
Cæsar omnis hanc adorat,
Nec meretur obsidem.
Lucis huius dum recordor,
Palleo supplex reus;
Ad tribunal dum vocabor,
Parce quæsitor *Deus*.
Orbe toto palpitante,
Quid valebo proloqui?
Ora claudam, te tonante;
Hic nefas est obloqui.
Contremiscam, te sedente
Causa dum tractabitur;
Res agetur, me tacente
Quæ dein vulgabitur.
Ritè causa quid peracta
Sit futurum fesciam,
Namque Iudex lite dicta
Proferet sententiam.
Ite, dicet criminosis
Ad profunda tartara:
At *Venite*, gloriosis
Ad suprema sidera.
Vox tremenda, vox *Abite*,
Fulminatrix criminum:

Vox amica, vox *Venite*
Muneratrix cælitum.
Illa lætam tunc benignis
Vox dabit Comœdiam,
Illa mœstam sed malignis
Vox dabit tragœdiam.
Plaude, plaude ter beata
Turba festis cantibus,
Nam triumphas destinata
Gaudijs perennibus.
Plange, plange sempiterno
Turba clausa carcere,
Eiulabis æuiterno
Non pianda tempore.
Inter vmbras, inter imbres
Sulphuris torqueberis,
Væ! nitratos inter ignes
Rugiens cremaberis.
O cauernas! ô tenebras!
O atrox *Æternitas!*
Omnis inter has latebras
Regnat infelicitas.
Eia quisquis huius audis
Actionis exitum,
Disce cautus, quando plaudis
Hunc vereri transitum.
Eia donis adlabora
Demereri Iudicem,
Non pauebit hac in hora
Qui ligarit vindicem.

Finis Libri Secundi.

PIARVM
LACRYMARVM
FONS
SIVE
LIBER III.

LACRYMÆ S. HIERONYMI.

ARGVMENTVM.

S. *Hieronymus* in Syriȩ eremo, Chalcidis nomine, iuxta fluuiũ Orontem, aſperrimam carnis luctã, eiuſq; aſſiduitatem deplorat: vide eundẽ ſua prælia deſcribentem, *Epiſtola* 22. *ad Euſtochium*.

ELEGIA I.

INter Orontæos fines, & Chalcidis oras,
Torret vbi Syriam Phœbus anhelus humum,
Quatuor autumnos, certaminis inteſtini
Perpetuis preſſi, perpetuiſque malis,
Fleuimus, at fletus leuis eſt medicina malorũ,
Fortius hoc aliquid plaga virilis amat.

Plan-

Planximus, & nostris sonuit plangoribus æther,
Fregimus & tortâ pectora nuda manu.
Vos superi testes, vos sidera noctis ocelli,
Testis erit Titan, Cynthia testis erit.
Vos quoque vicinæ, reboantia culmina, rupes,
Conscia singultus tuque cauerna mei.
Testis eremus erit, ploratibus ebria nostris,
Ast ego, ne plures poscite, testis ero.
Testis Ego: spectate manus, sunt verbere quassæ,
Pectus hiat; saxum molle fit; ossa labant;
Antra gemunt; fera flagra rubent: mecum omnia clamant;
Nulla repercussis ictibus hora vacat.
An satis? ô Diui, dabitisne quiescere? nemo
Annuit: huc vultus flectite, nemo iuuat.
Ergo iterum in lacrymas, lamentaque nota vocamur?
Rursus & in planctus brachia fessa ruent?
Ibimus, *O IESV*, rursum ibimus impete toto,
Dum cadat ante tuos dextera fracta pedes.
Omne æuum, bellum est: sunt hæc oracula *Iobi*,
Ah nimium veri nomina vatis habet.
Crudelis statio: tenero meditamur ab vngue
Prælia, vix natus somniat arma puer.
Et puer, & Iuuenis: iuuenum sæuissima pugna est,
Sunt quoque bella viro, sunt quoque bella seni.
Credite experto: mihi credite, credite Iobo,
Perpessi furias Martis vterque sumus.

Nec sumus hic soli: cunctos feralis Enyo
Aggreditur: sed me durius illa quatit.
Esse quid hoc dicam? gelido stat pallor in ore,
Arida vix tenuis contegit ossa cutis.
Ipse mihi funus videor, spiransque cadauer,
In tumulum viuens, emoriensque trahor.
Est spelunca domus, lacrymæ sunt pocula, longa
Esuries cibus est, frigida saxa torus.
Et tamen hæc inter, caro squalida, solibus vsta,
Pressa fame, macie lurida, tosta siti,
Liuida verberibus, lapidosis saucia pugnis,
Hei! mihi, inaudito bella furore ciet.
Iussa mori toties, necdum benè mortua viuit,
Est cinis, at cinis hic igne latente calet.
Huius vt effugerem discrimina proxima flammæ,
Venimus in latebras, auia ereme, tuas.
Romuleas retró, speciosa pericula, pompas
Liquimus, & domino triuimus ista pede.
Fugimus hos, medijs qui lucent vrbibus, ignes,
Queis, nimis in fatum prona iuuenta perit.
Omnia deserui blandæ irritamina culpæ,
Vt me desererem, nulla reperta via est.
Infelix! mihimet sum pondus, carcer, & horror,
Cogor & inuitus propria vincla pati.
Viuimus inter apros, tigresque, ferosq; leones,
Non leo, non aper est, nec mihi sæua tigris.

Sola

Sola caro metuenda mihi est ; hæc fata minatur,
Quælibet hoc vno mitior hoste, fera est.
Mœsta loci facies, animos horroribus implet,
Hinc tamen ad ludos mens vaga sæpe redit.
Ite procul veneres, venerisq; facessite larvæ,
Non facit ad vestros aspera terra iocos.
Cernite præruptos immani vertice montes,
Fulminibus fractis conuenit ille locus.
Cernite depressas inter iuga frondea valles,
Fluminibus lentis vix via nostra patet.
Fama fatigatis vix huc delabitur alis.
Hæc Boreas lasso vix subit antra pede!
Et tamen huc venient mollissima turba, lepôres?
Ducet acidalios huc Erycina choros?
Erratis : non est ; non est domus ista lepôrum:
Hæc dolor, hæc lacrymæ scrupea saxa tenent.
Saxa tenent lacrymæ : lacrymas nec saxa veretur,
Saxea quæ mollit viscera, blanda Cypris.
O Luctam! ô sortem lacrymabilium ærumnarum!
Hos inter silices, marmoreosque specus,
Has inter salebras ; fœdum ac miserabile visu!
Mancipium Dominæ barbara bella mouet.
Quis tibi serua caro ; dedit has in pectora vires?
Quis tibi tot flammas, tot tibi tela parat?
Quid facies viuens, si sic emortua vexas?
Quid facies victrix, sic vbi pressa furis?

Fis-

Illecebris fuit ille tuis, telisque petitus,
Illecebras spreuit sed puer ille tuas.
Venerat in steriles, aulai transfuga, saltus,
Et rudis ad pugnam, nec satis aptus erat.
Grande rudimentum viridi ponebat in æuo,
Tunc iuuenum princeps, gloria deinde senum,
Vidit, & inuidit tantis conatibus orcus,
Militiæque parat frangere cœpta nouæ.
Mox caro, mox Phlegethon iuuenilia pectora cingunt,
Ardet, & ignorat quid noua flamma velit.
Hei mihi! (clamabat) quid sentio? vulneror, vror,
Nescio quid sit amor, me tamen vrit Amor.
Flet, gemit obtestās, pugno præcordia tundit,
Sic expugnari te Cytherea putat.
Et benè: nam tali molimine, strenuus heros
Sæuitiem fregit, dire Cupido, tuam.
Vtimur his, sed & his, & longè pluribus armis,
Nostra pharetratus nōn timet arma puer.
Vtimur & *Pauli* memoranda, fortiter, arte,
Scilicet & *Paulos* nostra palæstra tulit.
Credat & hoc aliquis? sublimior æthere *Paulus*,
Ille datus præco gentibus, ille gigas,
Numinis ille capax vates, & pegasus orbis,
Ille, cui totus vix pila mundus erat:
Ille (quid?) indignum queritur cum carne duellum,
Qua face, quo stimulo me petit hostis, ait.
Siccine (probrosum facinus!) caro bruta, lacesses
Cælestes aquilas, magnanimosque duces?

Scin'.

Scin' quid agis cum bella moues ciuilia? dicam,
Quod pecus indomitum, quod fera tigris, agis,
Quod puer improbulus, quod iniquæ mentis asellus,
Quod mala Xantippe, quod trucis oris equus.
Hæc mala virga domat: flecteris vindice virgâ,
Hoc scio, phryx viso verbere, sæpe sapit.
Hęc noua lex belli: proprio stat sâguine palma,
Nemo aliter victor, qui volet esse, potest.
Paule, tuas veneror, post horrida pręlia, lauros,
Quà licet, & fracto corpore gesta sequor.
Hoc equidem fateor, longo propè marte fatisco.
Sed tamen in pugnam vel moriturus, eo.
Ars noua succurit: fœdos exturbat amores
Dîus *Amor*. clauum trudere clauus amat.
Hoc quoq; præcepto fuimus non segniter vsi,
(Nam quid inexpertum vulnera nostra sinant?)
Tinctus erã latiâ, graiâ quoq; Pallade tinctus;
Hebræos didicit lingua coacta sonos.
Dumque rudi meditor stridentia verba palato,
Verbera cum verbis mixta fuere meis,
Omnia tentaui, quò te caro dira, domarem,
Tu tamen infrænis more resistis equi.
Per iuga, per scopulos, per inhospita tesqua vagamur,
Nil iuga, nil scopuli, nil quoque tesqua iuuant.
Fluctibus in tantis quid agam? quo carbasa vertam?
Obruit heu! nostrum pænè procella caput.

Quo-

Quocumque aſpicio, ſunt omnia plena tumultu,
Intus lucta, foris terror, vbique dolor.
Inſuper illa meam fatalis buccina mentem
Concutit, & mœſta voce, *Venite*, boat.
Preſſus ad ima feror *Deus ô Deus* aſpice merſum,
Aſpice, & abiecto, quam potes, affer opem.
In cruce fixus Amor meus es: *Crucis* huius amore
Fac malus in fibris emoriatur amor.
Per latus hoc oro, diuino murice tinctum,
Qua ſibi *Longini* lancea fecit iter.
Per caput hocce tuum, dumis & arundine quaſſum,
Per geminaſque manus, per geminoſque pedes,
Quos tenero ſupplex, madidoque deoſculor ore,
Quos amo, quos lacrymis diluo, tergo comis.
His ego coniungar complexibus indiuulſis,
Dum mihi depoſito ſuppeditaris opem.
Ludor? an arriſit *Ieſus* miſeratus amantem?
Sanus & exiguo tempore, dixit eris.
Dixit, & hinc ſenſi medijs exiſſe medullis
Tartaream, rabidi dæmonis arma, facem.
Ergo dein meus omnis amor, meus ardor, *Ieſus*,
Dum vetus in cineres hic eat ignis, erit.

LACRYMÆ B. ARSENII.

B. *Arsenius*, duorum Imperatoris *Theodosij* filiorum præceptor, vitam aulicam pertæsus, in vastam solitudinem Scetim nomine, anno ætatis 65, secessit: vbi ad extremam senectutem, hoc est, ad annum 120. vixit, singulari omnium virtutum exemplo, iugi præsertim lacrymarum imbre perfusus. *vide in vitis SS. P. Ribaden. 19. Iulij.*

ELEGIA III.

Excusso aulæ iugo, solitudinis felicitatem commendat.

NVpera vox nostras etiamnum verberat aures;
Quæ mihi regali dixit ab arce fuge.
Si tibi cara salus, si sint in amoribus astra,
Si tibi grata quies, si grauis aula, fuge.
Fugimus, ô superi! quod si fuga sera videtur,
Parcite, difficili compede vinctus eram.
Quam metui, ne me nodò *Theodosius* aurêo
Stringeret, & rursum sub iuga colla daret.

Profuit

Profuit *Arcadij* nobis furor: ille salutem
Attulit, indignâ dum parat arte necem.
Euasisse iuuat tot retia blanda, tot hostes:
Felix, quæ laqueis aucupis exit, auis.
Castigabo moras, vbi nunc mala vincula rupi,
Ocius æthereum corripiemus iter.
Cedit humus, tollor nunc libertatis in ædem,
Ah! pudet, aula, tuum sustinuisse iugum.
Hinc rubor, hinc lacrymæ. serò licet, optima sector.
Quis vetat? *& senio est ad meliora locus.*
Omnia deserui, spes & fortuna valete,
Omnia sunt votis regna minora meis.
Tandem aliquid sceptris, & Cæsare maius habemus,
Parta quies: nunquam hoc tu mihi munde dabis.
Quam bene cum siluis vrbem, cum pace tumultus,
Cum lacrymis risum, cum gemituq; iocos,
Quam benè cum placido mutauimus æquora portu:
Hæc statio nostræ sæpè cupita rati.
O! quantum est aulæ, quantũ discrimen eremi!
Hæc iuuat, illa nocet, hæc leuat, illa premit,
Ad mea delusi proceres spelæa venite,
Si lubet, exemplis & sapitôte meis.
Sum rudis, & tantæ, fateor, sum tiro palæstræ,
Sed tirocinij nunc dabo signa mei.
Aspera si primo vultu vos terret eremus,
State, sub horrenti cortice mella tegit.
Cernitis incisos vicino in marmore versus?
Discite, sunt priscâ verba notata manu.

Aula bona mentis, sacra virtutis alumna
Hic latet: extemplo, qui legis ista, subi:
Eia subi, penitusque nouos scrutare penates.
Illic delicijs plena theatra patent.
Obuia mox hilari requies placidissima fronte
Ibit in amplexus, hospita turba, tuos.
Ibit, & è lacero dum vellet pectore curas,
Educet facili gaudia casta sinu,
Gaudia, lætitiasque, animique leuamina mille.
Scilicet hos comites semper *eremus* habet.
Virtutum chorus omnis amat nemus, exul ab aula.
Esse pius quisquis nunc volet, illud amet.
Baptistas, *Paulos*, ingentia nomina cerne,
Macariosque duces, *Magdaleosq;* lares.
His *pietas* agnata locis, hic diues *egestas*
Diuitias ridet, Cræse Midaque, tuas.
Liuor in his nunquam posuit vestigia terris,
Cæsaris ad rutilas excubat ille fores.
Hinc procul absistunt fraudes, pallorque tremorque,
Quid metuat qui nil, quod rapiatur, habet.
Fortè venena times? aurum fuge, nulla bibuntur
Fictilibus. tutas fons mihi promit aquas.
Sobrietas regina dapes proponit inemptas,
Et satis est, parcâ quod dedit illa manu,
Vobis sudat Arabs, vobis elementa laborant,
Nec vestram satiant ille, vel illa famem.
Ipse mihi sum verna, coquus, pincerna, minister,
Tolle superuacuos, aula superba, greges.

Hic

Hic mihi purpurei flores pro murice, saxum
Pro solio, viridis proque tapete torus.
Pro tecto cælum est, numen pro Cæsare, Diui
Pro ducibus, clara pro face Phœbus adest.
Pro fidibus philomela, frequens pro cantibus Echo,
Pro comitum turbâ fagus & ornus erunt.
Omnia dimisi, reperi tamen omnia. regnum,
Regem, aulam, proceres, gaudia, nomē, opes.
Plura quid experitis? trahit ô trahit ista voluptas
Hoc potiunda magis, quo magè tarda venit.
Incipio nunc esse meus, mihi vino: beata
Hæc demum vita est, viuere posse sibi.
Vos aliena tenent, alienis nutibus æuum
Ducitis: opprobrium est vincla aliena pati.
Nil metuo, nil opto, sat est. hæc summa bonorum,
Regia res, animi sceptra tenere sui.
Rex modo sum, calcamus opes, calcamus honores,
Rex sane est, quisquis spernere regna potest.
Prouehimur: loca me faciunt *deserta disertum*:
Vos volo riuales sortis habere meæ.
His circumfusas oculos iactate per oras,
Illecebræ dulces, queis rapiantur, erunt.
Aërij montes, iuga frondea, vallis opaca,
Vndique prospectus liber, aperta dies.
Perspicui fontes, vaga flumina, purior aura,
Vmbriferi saltus, contiguumque nemus,
Rus vacuum, benè conscia mens, spectabilis æther,
Et latebræ dulces, & sine teste locus,

Mille voluptates pariunt, præconia mille,
Dum loquor, en tacitis imbribus ora madent.
Elicit has lacrymas *amor* entheus. inde scaturit
Nescio quid dulci dulcius ambrosia.
Hinc ego cælicolûm prætoria lætus oberro,
Et moror in vultu, Patria cara, tuo.
Hinc acherontæos liber perrumpo recessus,
Excitor & vestris, tartara furua, rogis.
Sic, vbi peruigili percurrimus omnia mente,
In mea me reddo, restituoque mihi.
Mecum habito, in memet descendo, recondita scrutor,
Imperij partes discutioque mei.
Ars noua, tracto meas solo me iudice causas,
Me probo, me damno, testis & actor ego.
Qui sapit, huc properet viridi dominetur in aula,
Lex vbi libertas, Rex vbi *diuus Amor*,

ELEGIA IV.

Aula miserias, vanitates, pericula &c. proponit, & ad eorum fugam hortatur.

NIl bona nostra mouent? vos vestra pericula tangant,
Cernite circæos, quos tegit aula, dolos.
Experti loquimur, nihil est fallacius illis,
Quos neque lynx oculo peruigilante notat.
Prima quidem facies aulæ formosa videtur,
Multa sed interior monstra recessus habet.

Eſt aliquid, fateor, tyrio ſplendeſcere cultu,
Et proceres circum dinumerare ſuos.
Eſt aliquid digito monſtrari, & dicier, hic eſt,
Et placito vulgi murmure, ad aſtra vehi.
Sunt aliquid faſces, anademata, purpura, ſceptrum
Plauſus, opes, tituli, ſtemmata ſunt *aliquid*.
Sed breue, ſed fluxum, ſed mille doloribus emptum,
Verius hoc aliquid dixeris eſſe *nihil*.
Hei mihi! pro nihilo certamina quanta parantur!
Sic propè pro *bulla*, *bella* iuuenta mouet.
O male luſa cohors, oculos huc erige: primo
Hoc aulæ inſcriptum limine, lemma lege.
Hic labyrinthus, & hic labor intus: abyſſus abyſſum
Hic vocat: actutum qui legis iſta fuge.
Ecquid ſtatis adhuc tanto in diſcrimine? ſegnes
Ad bona, præcipites in mala, turba caue.
En tenet inſultans auratum limen Erinnys,
Et vibrat exitio ſpicula ſæua tuo.
Inuidiam comitem ſecum trahit, illud ab orco
Virus, auernali ditius Eumenide.
Occupat hæc omnes, trabeas perreptat & oſtrum,
Deus tota eſt, ſemper, quod male rodat, habet.
Triſte ſatellitium circũfremit: vndiq; fraudes,
Inſidiæ, laquei, tela, venena, faces.
Nil opus exemplis: omnis mihi regia teſtis.
Vnus pro cunctis ſufficit, vnus *Aman*.
Hic quoque fucato procedit *hypocriſis* ore,
Vendit & aſſutis byſſina verba, dolis.

 Exul-

Exulat hinc *Astraa* procul. totã ambitus aulã
Possidet, in vinclis iusque, piumque gemit.
Illic pro vero prostant mendacia. nulli
Certa fides. vulpem pectore quisque gerit.
Finge agedum, regem populi te mille salutent,
Tot populos inter vix tamen vnus amor.
Non regem, sed regna colit gens æmula: gestit
Vt premat, aut noceat, quilibet esse potens.
Nemo sibi est felix, dum se felicibus æquat,
Quem præijsse videt, hunc perijsse cupit.
Summus es? ima time, *fastigia celsa ruinis*
Proxima sunt. humilis nõ habet vnde cadat.
Aurea sollicitas volitare per atria curas
Aspice: securus non amat ista sopor,
Nulla quies: cursu, strepitu, fremitu omnia feruent:
Credite, vix tantis motibus Ætna sonat.
Imperat hoc Rex trinus, *opes, honor, atq; voluptas*,
Tota tribus dominis vix satis aula patet.
Hos circumsistunt, palpant, mirantur, adorãt,
Sollicitant, prensant ambitiosa cohors.
Illi promissis comites ingentibus implent,
Sed vacuas semper spes sedet ante fores.
Ille vel ille licet montes tibi spondeat auri,
Spargat & ante tuos gemmea dona pedes.
Hæc fugias, moneo: non quidquid fulgurat, aurum est,
Fallit amatorem perfida gemma suum.
Quid moror? expediã paucis non diuite lingua
Sed potius lacrymis res eget ista tuis.
Aula quid est? carcer speciosus, splendida vincla,
Virus dulce, quies anxia, scena breuis.
Instabilis statio, pelagus graue, lerna malorũ,
Pœna hilaris, siren noxia, ficta quies.

Mendax

Mendax lena, dolor verus, fucata voluptas,
Error gratus, inops copia, iuge iugum.
Vna rosa est, sed mille rubi. illa vnica mellis,
Plenus amaroris, mœstitiæque calix.
Quid tandem? verbo est *funesta tragœdia*: crudas
Semper vbi mortes, vltimus actus habet.
Post hæc, aula placet? laruata est, detrahe laruam,
Horridius toto videris orbe nihil.
Si tamen insanæ captos splendoribus aulæ
Nil vos *Arsenij* verba, vel acta mouent,
Ite, palatinas ruituri ambite curules,
Non emimus tanto gaudia falsa malo.
Effugio quærenda salus: *cunctando perirur*,
Insanit, quisquis sponte perire cupit.

LACRYMÆ S. BRVNONIS.

B*Runo* Carthusianę religionis institutor, Doctoris Parisiensis (qui se diuino iudicio accusatum, damnatumq; proclamarat) funestã catastrophen deplorat, vitam priorem pertæsus, aliam meditatur.

ELEGIA V.

HEi mihi! quod pauidas tonitru modo perculit aures?
Talis auernali prodit ab orbe fragor.
Quæ vox? quæ facies? quæ fulmina? quale theatrum!
Lusit vbi partes sors inopina suas.

Quis pauor ex vno? quis in omnibus horror? vbi ille
Extulit effractâ lumina sandapilâ.
Pro! quam terrifico tremefecit templa boatu!
Ille procellarum, turbinis ille dies.
Ille salutaris multis, sed noxius vni,
Fors periturus ego, ni perijsset, eram.
Occursant animo totidem, tria verbera, verba.
Vapulat hinc trepido cor animusque metu.
Vah metamorphosis! vah dira tragœdia! tristis
Exitus! exodium flebile! funus atrox!
Vix oculis vix credo meis, vix auribus: Ille
Tullius ingenio moribus ille Cato,
Ille (quis heu! tutus?) nostri spectata lycæi
Gloria, cor Themidis, Palladis, ille, decus,
Æternum perijt proprio iugulatus ab ense,
Ipse sibi iudex, pœna, lanista, reus.
Lis decisa manet nulla appellatio restat,
Cum semel est summo causa peracta foro.
Ergo iaces miser haud vlli miserande tuorum,
Cæli odium, terræ fabula, præda stygis.
Infaustæ cuperem causas nunc discere sortis,
Sed vereor manes sollicitare tuos.
Nil mihi responde posthac, vox sufficit ista,
Vnde tibi mors est, & mihi nata salus.
Exitus infelix scelus arguit: histrio mendax
Vita fuit, vitæ clausula vera fuit.
Personam sceleri mors abstulit, horribilis mors,
Proditus est laruâ simius ille sua.
O hominum latebras! ô pectora cæca! quot intus
Monstra, quot & scopulos æquora blanda tegunt!

Virtu-

Virtutem passim mentitur hypocrisis: ori
Nulla fides: cygnum fingere coruus amat.
I modò fucatæ confide *Lutetia* fronti
Et tacito vulpis pectore conde dolos.
Omnia lux aperit: nunquam simulatio longa est:
Vmbra suum finem, lux vbi fulsit, habet.
Vltima lux, totis decies lux clarior astris,
Quæ malè celatum proferet omne nefas.
Arguet illa dies, vel in ipso sole tenebras:
Hinc timor: hanc metuat noctua, si qua videt.
Non trahet ad vetitum, si spectes sidera, crimen:
Nec data gemma Gygis, nec sine teste locus.
Sed quid ego hæc inter vicina pericula lentus,
Demoror? *Exitio dat mora sæpe locum.*
Intutum hic: en fumat adhuc infame bidental,
Et metuo trifidi fulminis ipse minas.
Hinc fugio, tristiq; caput subduco procellæ,
Exeat & mecum, qui sua fata timet.
Ite Parisiacæ, musarum templa, palæstræ,
Ite: nouas artes, & noua castra sequor.
Non cathedræ, non grande sophos, non culmina rerum.
Non fora, non causæ, vestra nec vmbra placet.
Si male conclusit sophiæ moderator, & idem
Si cecidit causâ, quis modò tutus erit?
Omnia formido post talia funera: asylo
Nunc opus: hoc nobis forsan eremus erit.
Este duces superi: per dura, per inuia læti
Ibimus, arctoum nec metuemus iter.
Iam videor celsos, scopulosa cacumina, mõtes
Scandere, iam cælis inseruisse caput.

Sed mihi præ cunctis vna est *Carthusia* cordi,
Hæc mihi certa quies, hæc mihi portus erit.
Istic, *Bruno*, tua est academia, dulce lycæum,
Hæc disciplinis apta palæstra tuis.
Hic alias leges, alia hic elementa notabis,
Quæ diuinus *Amor* gymnasiarcha docet.
Nil opus est linguâ: lex est hic summa, *Silere*,
Et tacitâ Domini percipere aure sonos.
Hic studium, hic stadium est animis cælestibus: istuc
Currite, quos flammæ vis melioris agit.
Hic extra teli iactum sumus: omnia circum
Mars habet. *in turbâ qui manet, ille perit.*
Dum licet, huc socij gressuque animoque volate,
Serius est medijs velle cauere malis.

ELEGIA VI.

Damnatorum multitudinem, & mortalium cæcitatem luget, qui tormenta futura non prouident.

O cæci Adamidæ! (vos compellare trecentis,
Si totidem dentur, vocibus hora monet.)
Cernite quam spissi voluũtur ab æthere flocci,
Dum gelidam boreas fundit ab axe niuem,
Cernite quam multâ crepitet sub grandine tellus,
Dum grauis irato Iupiter ore fremit.
Ad styga sic homines toto glomerãtur ab orbe,
Nulla vacat regio, regia nulla vacat.

Quis

Quis nisi mentis inops in opaci carceris vmbras,
Aut siculos ignes desilijsse velit?
Attamen ad choreas veluti, ludosque perennes
(O stupor! ô quantâ nocte laborat humus!)
Cōfertim volat huc & primus & vltimus ordo,
Et Phlegethon nostrâ clade recenter ouat.
Lata via est : se densa tamen premit vndique turba,
Maximus est primum posse perire labor.
Vnde furor tantus ? quænam hæc insania? quorsum
Viuere cum possis, est tibi dulce mori?
Ah! video: cunctas afflant deliria mentes,
Et nisi quæ tangit, nemo pericla timet.
Exulat humanis è mentibus (inde tenebræ)
Cura tui cælum; tartare, cura tui.
Illa æternarum meditatio lyncea rerum
Stat procul: hinc sceleri maxima regna patent.
Excute lethæum, vulgus mortale, soporem,
Hic sopor æternus, ni modo surgis, erit.
Æternum æternum sopitas erigat aures,
Surdus is est, tonitru qui reboante iacet.
Æternum est perijsse semel: spes nulla regressus,
Mersa sub vmbrifero spes acheronte perit.
Ortum quidquid habet, finem videt: Impia durant
Tartara, supplicijs perpetuanda suis.
Nequidquam æterni seriē tibi persequar æui,
In numeros series non cadet illa meos.
Si tamen vmbra placet, referā de millibus vnā,
Illa tibi lucem forsitan vmbra dabit.

Concipe. sublimem superet vaga tethys olympum,
Sit mare, sit fluctus, quidquid vbique vides.
Hoc age, de pelago, post sæcula dena, pusillam
Exiguo stillam gutture tollat auis.
Atque iterum, atque iterum post sæcula dena recurrat,
Detur vt ad guttas proxima gutta comes.
Altera sic sensim dematur & altera gutta,
Arida dum sicco restet arena vado.
Enumera quoties, millesimus annus abibit,
Implebis numeris solis vtramque domum:
Nec tamen æterno tolles de tempore punctum,
Æternum semper, quo sibi constet, habet.
Finis erit pelagi, pœnæ mortisque perennis:
Nullus (habent finem cætera) finis erit.
O mare inexhaustum ærumnarum! ô triste profundum!
Vnda carens fundo, littore & vnda carens!
Hinc! tremo, ceu steriles, quas ventilat eurus, aristæ,
Dum subit æternos styx alitura rogos:
Occupet ille tuas tremor, ô insane, medullas,
Quas malus in præceps error amorque rapit.
Falleris, heu! non est *mors vltima linea rerum*,
Restat adhuc ingens linea, fata time.
Linea vel felix, niueo signata colore,
O *Deus*! ô quantis ebria delicijs!

Linea

Linea vel tristis, nigrâ caligine ducta,
O dolor! ô quantis horrida supplicijs!
Illa, vel illa manet nos linea: linea duplex
Sollicitat gemino pectora nostra metu,
Postea ne mactet me linea longa malorum.
Hic *Deus*, hic crucia, frange, perure, seca
Vre, Seca, flammasque tuas, ferrumque lacesso,
Hic, vt in æternùm liberer, *Vre Seca*.
Nec volo, nec valeo pœnas tolerare perennes,
Quantouis pretio styx redimenda mihi est.
In caput ergo meum vos coniurate dolores,
Quotquot atrox tellus, quotquot auernus habet,
Te *Deus* vt potiar, patiar dirissima rerum,
Incipio: furor est in styge velle pati.
Eia rebellantem frangant ieiunia carnem,
Et lanient artus aspera flagra meos.
Silua domus fiat, tectum astra, cubilia saxum,
Vnde mihi latices præbeat herba cibos.
In lacrymas oculi, ruat in suspiria pectus,
Et manus in planctus vtraque tota vacet.
Sic decet ad superos hoc itur tramite: *toto
Calo errant*, aliâ quotquot iere viâ.
Errorum satis est: placet orbita recta; salutis
Ipsa mihi insolitum styx modò sternit iter.
Improba styx nostræ spolijs ditata palæstræ,
Intonat assiduè; iam tibi *Bruna*, caue.
Iam caueo: pariter tibi prospice lecta iuuentus,
Alterius damno qui sapit, ille sapit.

LACRYMÆ THOMÆ MORI, eiusque filij, & Ioannis Fischeri Roffensis Episcopi.

ARGVMENTVM.

Henricus 8. Angliæ Rex, idemq; Anglicani Schismatis primus auctor, repudiatâ, contra Sedis Rom. voluntatem, vxore legitima *Catharina*, *Ferdinandi* Regis Hispaniæ filia; & eius loco, *Anna Bolena* propudiose ductâ, *Thomam Morum*, virum integerrimum, Angliæ Cancellarium, vnaque *Ioannem* Roffensem Episcopum, diuortium suum, & Schisma nouum (quo se in Anglia, Ecclesiæ caput dici haberique volebat) approbare recusantes, morti iniustissimæ adiudicat. Hinc ambo ad supplicium rapiendi, suam sortem, & luctuosum Angliæ statum deplorant.

ELEGIA VII.

Morus condemnatus.

Ille Caledonio nuper celeberrimus orbe,
Sors mea dum niueis proueheretur equis,
Qui fasces inter, vitæque necisque sedebam
Arbiter,& Regi proxima iura dabam,
Ille ego (versa rota est) crudâ mactandus arenâ
Protrahor,è cæco,lugubris vmbra,specu.
Ah! trahor immeritus:nec enim mens conscia noxæ
Me facit aut æqui Iudicis vrna, reum:
Sed furor , & regis (pudet!) execranda libido;
His mea Iudicibus causa peracta fuit.
Hi scripsere diem lethi;lethumque cruento
Pollice:cedendum est,sed iuuat ante queri.
Vtar ego lacrymis , sed non muliebriter vtar:
Est quoque qui deceat mascula corda dolor.
Incipio:tragici spectatrix turba theatri,
Ad mea *Londinum* fata venire iube.
Venit summa dies,& ineluctabilis hora,
Hora volubilibus præcipitata rotis.
Ergo dicta mihi est lux decretoria? *MORE*
Purpureo stillans vertice *Morus* eris?
Non male funestâ sortiris ab arbore nomen,
Congrua fortunæ nunc erit illa tuæ.
Fabula prisca fuit *Morus*,noua fabula fiam.
Iam metamorphosim sentio adesse meam.
Quod manus extimuit regis subscribere votis,
Addicor rigidæ,Iudicis ore neci.

Si sceleris fierem, malè quod probat Anglia, fautor:
Pro nece libertas, meq; maneret honos.
More, mori præstat, quam sic edicta probasse:
Regia: materies mors mea laudis erit.
Volseus probet hæc, probet hæc *Cranmerus*: & orco,
Venalem quisquis linguam animãq; gerit.
Dissidium hoc fatale, inconcessósq; hymenæos:
(Qui sapiet, mecum sentiet Anglus idem)
Nunquam ego: coniuret quamuis styx tota, probaro:
Nam crimen quisquis comprobat, ille facit.
Mille vices caput hoc malim à ceruice reuelli,
Quã caput id, Princeps, ꝙ cupis esse, probē.
Ergo renascentur lernææ monstra paludis?
Hercule rursus opus, qui noua monstra domet?
Alcides nouus adsto: hydram oppugnabo, cadente
Me, cadet, aut stabit me superante fides.
Quidquid erit: pulchrum est, animosi more leonis,
Quærere non humilem tela per ipsa necem.
Vt tueare caput, membrum quandoq; secandum est:
Membrum ego sum, vt saluum sit caput, euge seca.
Quod caput hoc? inquis: caput hoc quod præsidet orbi,
Quodq; quirinali, dum lubet, arce tonat.
Hoc caput est, quod Turca sibi, quodque arrogat Anglus,
Ille vel ille tamen, quod cupit, esse nequit.
Rex vni regno, sol vni sufficit orbi,
Nec capiunt geminos terra vel astra *Deos*.

Et

Et queat esse triceps, *Ecclesia*, cerberus? ohe
Prodigium! scelus hoc tollite, cuncta vetant,
Ius, ratio, natura, Deus. Qui iura profanat
Omnia, monstrorum est maximus ille sator.
Quid queror? en nudo minitatur acinace miles;
Et iubet immani abrumpere verba sono.
Siste manum lictor: spatium breue deprecor: Anglis
Euulganda suis paucula, *Morus* habet.
Vix credenda loquar: tamen hæc narratio poscit
Non dubiam, Proceres, aure fauente fidem.
Squallidus vmbroso nuper dum clauderer antro;
Mollirem que meâ vincula aliena prece.
Ingens visa mihi est *Fidei* mærentis imago
Ad mea sollicito lustra subisse pede.
Diffractos calices, cidárimq; crucéq; tenebat,
Et malè diuulsum syrma trahebat humi.
Scissa comas, laniata sinus, nudata lacertos,
Tundebat tenerâ pectora aperta manu.
Et mihi, succlamans, *heu* inquit, *More perimus*:
Te lethum, exilium me modò triste manet.
Actum est; eijcimur: licuit felicibus esse
Hactenus: in læuum est sors bona lapsa latus.
Ah! propè (grande probrum!) toto proscribor ab orbe,
Regnatrix domiti quæ prius orbis eram.
Destituit ripâ nuper me *Rhenus* vtraque,
Componi nostra lege nec *Ister* amat.
Scilicet è nostris sceleratus transfuga castris
Opposuit signis signa pudenda meis.
Et de Saxonicâ produxit Erinnyas arce,
Quæ stygiâ quatiant meque meosque face.

Mox

Mox quoque Sequanicis me cedere coget alioris,
Bellua,Lemano progenerata lacu.
Pars quota terrarum restabas *Anglia*? certè
Pars bona,ni velles deteriora sequi.
At,sequeris fugienda, fugis sectanda: malorum
Rex caput,& vetito lena recepta toro.
His comes impietas,& acerbo schisma dolore
Linquere me Tamisis littora cara iubent
Hinc vltra Tanaim, Gangemque, caputque Niphatis
Ibimus:hic me gens,quæ veneretur,erit.
Vasta procul nostros suspirat *America* vultus,
Ambit & amplexus Sina Iaponque meos.
Nec mora,verto solum : mecum migrate Britanni
Quos mihi non fragili fœdere iunxit amor.
Tu tamen ô *fidei patriæque* impendere vitam
Ne dubita:palmam iam tibi,*More*,paro.
Iamq; vale,atque animis ne deflce:ad astra fragosum
Est iter.hic vires experiare tuas.
Dixerat hæc lacrymans, colloque infusa gementis
Destituit visus protinus illa meos.
Obstupui,& tali refugam sum voce secutus,
Hei mihi!sic Patriam linquis,*auita FIDES?*
Ergo peregrinos fugies extorris in orbes?
Et Guineæ vises Iaponiæque plagas?
Si tibi fixa fuga est : & me rape in extera tecum
Regna : nouos animos ad noua regna feram.

Sed quid ego hæc memoro? regio altera, & altera vita
Me vocat: & vitam, quam peto, fata dabunt.
Huc feror: hoc clamat funesto pegma paratu,
Tensaque lugubri stromata pulla solo,
Hoc tuba feralis, manus hoc ferrata, furensque
Lictor, & heu! iugulo stricta machæra meo.
Hæccine promeritis ingrata Britannia pendis?
Hæccine Rex, de te præmia, *Morus* habet?
Talis ab *Henrici* manibus suadente *Bolena*,
Contexetur purpura, *More*, tibi?
Fallimur? aurato pro vellere colla rubescent?
Ha! rubeant, nostri est stemmatis ille color.
Arcta via est cælo: caput hoc submitto securi.
Hanc melius trunco corpore inibo viam.

ELEGIA VIII.

Filius vnicus Thomæ Mori, Patri condemnato occurrit.

ERgo quid? occumbes Pater? ah! Pater! hoccine tantum
Anglia spectabit, Rege volente, nefas?
Spectabit? nec te communibus eruet armis,
Cùm toties linguæ senserit arma tuæ?
Hoc tolerasse scelus, sceleris pars magna peracta est:
Cùm possit, quisquis non vetat ista, iubet.
Insanam, Albiones, compescite Principis iram.
Non regi, quidquid collibuit, licuit.

Ne-

Nequidquam, Proceres, parmas gestatis & enses,
Sub pede si finitis fasque piumque teri.
Si tamen in gladijs sera est tutela parentis,
Saltem aliquid meritis impetret ille suis,
Nunc Letho, trabeatus honos, & cognita *Virtus*,
Eximat hoc dignum daphnide fronde caput.
Quid propè lustra nouem Patriæ tractarit habenas?
Et tragicâ claudat splendida facta nece?
O iura! ô leges! ô curia! nempe tribunal,
Et Themis, & *Moro* iura, tuente ruunt.
Ergo quid? occumbes Pater? ah Pater! hoccine tantum:
Spectabo, Patria nil miserante, nefas?
Solus ad immeritas, sine me, raptabere pœnas?
Me sine, luctificæ subijciere neci?
Non patiar: seu sit fundendus sanguis, amato
Est mihi qui fusus pro Patre sanguis eat.
Membra minutatim seu vult discerpere lictor,
Hæc ego lictori membra secanda dabo.
Quidquid erit crudele, ferox, crux, furca, securis,
Intrepidè cunctis obuius ibo malis.
Nil ego detrecto pro te, Pater. *MORVS.* O mea vita!
Nate, tuum pectus vox satis ista probat.
Sed frustra pius es, nil me tua fata iuuabunt,
Detonat in nostrum tota procella caput.
Non facit ad Regis, ceruix nisi nostra, furorem,
Non satiant rabidam colla tenella famem.

FILIVS.

Ergone ad hoc æuum prisci rediere tyranni?
Sæuit *Alexander*, sanguineusque *Nero*.

Hic necat ille *Clitum*, *Senecam* rapit ille: *Nerones*
Nunc alit infesto Patria nostra sinu.
Ad *Marium Syllamque* cruenta reuoluitur ætas,
Iam Scytha, iam Colchus regna Britanna tenet.
Inter apros præstat, tigresque, vrsosque morari:
Terra vale, Patri barbara terra meo.
Nunc ad Patagonas, anthropophagosque migrabo,
Tutius est media viuere Brasilia.
Ah Pater infelix! proles miseranda! *MORVS*: dolorem
Flendo grauas, mihi cor transfodis, eia vale.
FIL. Ergo valere queam sine te? *MORVS*. vale nate, supremum
Amplexum, patrij pignus amoris, habe.
FIL. Ergone diuidimur? fatalis dextera, quæ sic
A nato Patrem dissociare parat.
Heu ita diuidimur, veluti compagine ruptâ,
Aspicis à membris membra reuulsa suis.
Diuidimur: dolor hinc; & non medicabile vulnus;
Emoriar Patri si modò dico *Vale*.
Emoriar, dicamque; *Vale*, dans oscula: lictor
Hic si vnum nescis tollere, tolle duos.
Per nostrum patrio fiet via prima cruori;
Quidquid agas, vnum iam scelus esse nequit.
Nos iugulare potes, sed non diuellere: duro
Fortior hic ferro nexus amoris erit.

ELEGIA IX.

Ioannes Roffensis condemnatus.

R*Ichardi* manes, *Eduini* nobilis vmbra,
Maior & imperio, virgo *Eduarde*, tuo,
Victricesque heroum animæ, *Anselmique, Thomaque,*
Bedaque natali deuenerande tuo,
Quotquot & illustres olim sceptroq; mitraq;
Extulit in titulos Insula nostra suos:
Ad mea laxatis procedite funera bustis,
Et veteris regni cernite relliquias,
Relliquias eheu! tristes, superisque dolendas:
Et date quam petimus, quamque meremur, opem.
Cernite, prisca fides, proauitæ gloria gentis,
Implorat vestras, iam ruitura, manus.
En vestris erecta operis, ditata trophæis,
Digna parætonias vincere pyramides,
Cum mystis delubra iacent, libaminis expers
Mœret inauditis ara reuulsa modis.
Et sinitis? tantumque scelus toleratis inulti?
Surgite: vindicias patria strata rogat.
Has quoque legitimo *Catharis* regina cubili
Pulsa petit, furuo nunc malè clausa specu.
Has exul pietas, læsus pudor, obruta virtus,
Has incesta, tuum, lena *Bolena*, caput.
O superi! nec adhuc consurgitis? illicò adeste,
Hic agitur *fidei causa, Tonantis honos.*
Hæresis (ô monstrum!) rege aurigante triumphat,
Quam prius & ferro fixerat, & calamo.

Hæc-

Hæresis! ô mores! ô tempora! tollite Diui
Tollite; ni facitis, iam mihi fata placent.
Cum patria labente iuuat decedere, fœdè
In tanta fidei clade superstes ero.
Fata placent, mea Roffa vale, tuque Anglia; certè,
Nunc tua mentiris regna carere lupis.
En lupa regna tenet: miseræ trepidate bidentes,
Pastor ego, si vos desero, non fugio:
Non fugio, medios propero moriturus in hostes,
Hi vitam, vellem si lupus esse, darent:
Non ero, Pastor ero vel in ipsa morte: cruore,
Si nequeo succo lactis, alemus oues.
Sic nos erudijt documentum natus in ingens,
Christus, & ipse suas sic quoque pauit oues.
Ibo, ibo, *Iesu*, tibi succidanea fiam
Victima, sacrificis iam calet ara focis.
Sanguineum calcamus iter. Dux sanguine fuso
Excitat, & mentem præuia turba ferit.
Turba rotis, crucibus, gladijs, telisq; rogisq;
Inclyta, vulneribus turba decora suis.
Nulla mora est, sequimur, nec inertia tardat amantem,
Et iuuat inuicta cum legione mori.
Liber eo, nihil est quod me mortalibus oris
Illiget, abrupi vincula, liber eo.
Pastorale pedum iussi, mitramque valere,
Has aliud cinget mox diadema comas.
Cor micat, exultant præcordia, scipio dextrã
Desere; nil fulcro est, cum moriamur, opus.
Mors decreta mihi est? nihil hac optatius eia
Accelera lictor, sanguinis vnda salit.

Si caput appetitur, caput hoc dabo promptus, & vltò
Subijciam ferro, colla metenda, tuo.
Expecto rubeum patulâ ceruice galerum,
Quem vice Pontificis, regia dextra parat.
Iste placet murex, tali cum veste, quirites
Æthereos inter (plaudo) Senator ero.
MOR. Ah! mi Roffensis! *ROFF.* quidnam est. *MOR*: mea vita. *ROF.* quid angit?
MOR. Intercludit vocem dolor, & lacrymæ.
ROF. Ah! video, mi More, tuis, nostrisque laboras
Casibus, & fato præcipitante gemis.
Cælum emitur si morte, mori cur, *More*, timemus?
Anne voluptatum est hæc lacrymanda seges?
MOR. Quod sine iure cadā, nō lugeo: quod sine Rege,
Lege, fide, cadis ô Anglia, lugeo te.
O Patria infelix, non iam mea Patria! quo te
Fonte, quibus lymphis emaculare queam?
Flumina bina mihi lacrymarū, & vena cruoris
Plurima; te lacrymis, teque cruore lauem.
Sis ingrata licet, totum hunc propino liquorē,
Qui mox desecto deplu et è capite.
Tale optasti olim tibi, *Constantine* lauacrum,
Quale tibi dabo nunc Patria, Rexque tibi.
Constiterit magno licet hoc, tamen offero: tantum
Opto, fides fuso hoc sanguine tincta redi.
ROF. Hæc eadem mihi mens: fidei, sedique Latinæ
Immolor: & sorti gratulor ipse meæ.
Hunc niueum roseumque diem memorabimus ambo,
Si decoret nostram purpura canitiem.
Ibimus vnanimes, *More*, ibimus: eia satelles
More, & amore pares; fac quoque morte pares.

RHYTH.

RHYTHMVS ANACREONTÆVS.

In Psalm. CXXXVI. qui sic incipit *Super flumina Babylonis, &c.*

Exprimitur hic ad litteram flebilis querimonia populi Israelitici in Babylone captiui.

NOs exulum caterua
Quondam Sionis hospes,
Ingente quæ proterua
Vix sperat esse sospes:
Babylonis ad fluenta,
Dum fortè considemus,
Tormenta sæua, lenta
Lacrymamur & dolemus:
Lacrymisque fletibusque
Euphratis vndâ crescit,
Minus tamen minusque
Dolor improbus quiescit.
Hic pupulas madentes
Ad Patriam relictam
Dum flectimus gementes,
Ab hoste scimus ictam.
Nostri, *Sion*, amores
Arx arcium beata,
Flemus tuos dolores
Flemus suprema fata.

Hinc

Hinc cuncta blandioris
Monumenta læta vitæ
Detrectat his in oris
Fidei cohors auitæ.
Lyra muta & inde, & inde
Inter salicta pendet,
Agitata quæ subinde
Responsa mœsta reddet.
Hæc propter, vndequaque
Cum flenda turba simus,
Nil nos acerbat æquè
Quam probra quæ subimus.
A flente, & exulante
(Ludibrium cruentum!)
Hilares modos vt antè
Grex poscit irruentûm.
Cantate, clamat hostis
De canticis *Sionis*:
Cantate, namque nostis
Sacra metra nationis.
Quid postulas superbe
Sionios melodas?
Vexata gens acerbè
Extorris odit odas,
Diuina cum profanis
Cum lacrymisque risus
Miscere vis? inanis
Est vester iste nisus.
Non quadrat atra latis
Cum tympanis cupressus:
Ridete, si voletis,
Amat ægra turba lessus.
Ingrata si beatæ
Obliuio *Sionis*
Obrepat,

Obrepat, aut amatæ
Querela mansionis:
Si coner insolenti
Citharam ferire plectro,
Frangat *Deus* potenti
Digitos lyramque sceptro.
Subitoque quassa tactu
Velut igne fulminata
Medio rigescat actu
Ad plectra dextra nata.
Si quas vocaro musas
Præter *Sionis* arces,
Torpescat ad retrusas
Taciturna lingua fauces.
Dum me exulem videbis,
Tu sola, tu meorum
Hierusalem manebis
Origo gaudiorum.
Deus, vltor ô supreme
Vide pyras, & iras,
Quas hostis ex Idume
Effudit, atque diras.
Age vindica, supinæ
Hoc te manus precantur:
Clamant Edom rapinæ,
Nec adhuc humo vorantur?
Memento quàm feroce
Fera turba barbarorum
Ad fata nostra, voce
Stimularit agmen horum.
Raptate, dissipate
Boabat vsque & vsque.
Et prima, & ima latè
Miscete susque deque.

Quid ô nefanda nostro
Babylon malo triumphas?
Quid gloriaris ostro
Velut antegressa nymphas?
Meritas dabis misella
(Sic poscit ordo) pœnas:
Age, senties flagella
Imas ad vsque venas.
Huc victor ille tendet
Qui lege talionis
Vicem tibi rependet
Instar feri leonis.
Felix ouator ille
Qui post tibi irrogatas
Clades, crucesque mille
Pœnasque inusitatas;
Truculentus inuolabit
In te, tua, & tuorum
Caua saxa purpurabit
Cruore paruulorum.

RHYTHMVS

SEV LESSVS

Mortalium hic exulantium, varias huius vitæ ærumnas, pericula &c. deplorantium.

PARS PRIMA.

I.

IN valle lacrymosa
Propè vada fluctuosa
Captiua turba plangimus.

Baby-

Babylonis ex dolore,
Sionis ex amore
Gemenda metra pangimus.

II.

Quocumque namque mœstos
Hos per locos molestos
Visus & ora vertimus,
Hinc mille lacrymandi
Hinc mille palpitandi
Occasiones cernimus.

III.

En *Mundus* hinc venustus,
Monstrat, dolis onustus,
Luxus, opes, palatia:
Quot hic propola fallit!
Melos vt suaue psallit!
Dum venditat mendacia.

IV.

Acherontis inde *Princeps*
Formidolosus auceps
Orbem fremens, perambulat:
O! quàm periclitatur!
(*Lupus* ille dum vagatur)
Hic si quis *Agnus* exulat.

V.

Accedit hos ad hostes
Domesticosque postes,
Pellex *Caro* blandissima.

Quæ quinque cum Bathyllis
Parasitulis pusillis
Tentat, domatq; maxima.

VI.

Formosulis figuris
Ocelle, nos aduris
Flammæ ministrans pabulum:
Præstaret esse cæcum,
Quam damna blanda secum
Deferre, vt ignitabulum.

VII.

Sirenis ad canorem
Quis obdat, ob timorem
Ceras Vlysses auribus?
Occulta quot venena
Bibuntur, arte plena
Dum vox inerrat sensibus.

VIII.

Nares suos odores,
Gustus suos sapores
Ceu institores offerunt:
Sed sæpe blandiendo,
Varieque mentiendo
Lethale mulsum conferunt.

IX.

Tangendo mollicella
Peritur: ista mella
Fellis propinant pocula:

Sam-

Samſon tibi caueto,
Et *Dalilam* timeto,
Nam ſæuit inter oſcula.

X.

Quis inter hos Sinones;
Vafroſque ludiones,
Euadet abſque vulnere?
Exultat ille tutus
Hoc quiſquis eſt ſolutus
Mortalis æui carcere.

PARS SECVNDA.

I.

Ah! nos adhuc moramur,
Trepidamus, & ligamur
Hac corporis compagine.
Vbi cuncta turbulenta,
Vbi fera gens, cruenta
Nos circuunt indagine.

II.

Hoc *Corpus*, hæc ruina,
Doloris officina,
Morbique diuerſorium
Nos luctibus trecentis
Diuexat: hic manentis
Heu! triſte conditorium!

III.

Vbi tremente greſſu
Circumſonante leſſu
Fames,febres,contagia,
Vbi furor,truceſque
Belli minæ,neceſque
Funeſta ducunt orgia.

IV.

Vbi dux,& imperator
Animus,gemens viator
Duris grauatur nexibus:
Vbi *Venus* hunc probroſis,
Vbi *Bacchus* hunc doloſis
Irretiunt complexibus.

V.

O qualis illa lucta!
Loca per ſupina ducta
Dum *MENS* ad aſtra nititur:
Et interim repente,
Hanc mole deprimente,
Ad ima rurſum voluitur.

VI.

Non tot fretum procellis,
Non tot ferox duellis
Mars feruet inter agmina:
Quot tartari frementis,
Quot carnis inſolentis
Nos impetunt certamina.

Sors

VII.

Sors illa quam timenda?
Lis illa quàm pauenda,
  Anceps vbi victoria:
Auget metum frequenter
Æternus inde carcer,
  Perennis inde gloria.

Pars Tertia.

I.

Quouſque militabo?
Et acerba lacrymabo
  Captiuitatis tempora?
Cruciant vbique mentem
[illegible]
Mala tanta, quæ valentem
  Laſſare poſſint Hectora.

II.

Quis nos tenebricoſo,
Tetrico, laborioſo
  Damnauit hoc ergaſtulo?
Fuit, heu! dies nefaſtus,
Nos quando protoplaſtus
  Hoc implicauit vinculo.

III.

Malè ſibi conſulentis
Luimus ſcelus parentis
  Fallace pomo perditi:

Ah! quando seruitutem
Vertemus in salutem,
Vitæ beatæ redditi?

IV.

Procul à *Sionis* oris,
Dudum maligniorꝭ;
Distædet huius exilij;
Age, plaude gens amata,
Babylone liberata,
Cælestis hæres concilij.

V.

Dum sors suprema mortis
Patrijs redonet hortis
Nos, quotquot exulabimus;
Babylonis ex dolore,
Sionis ex amore;
Hîc interim plorabimus.

ODE PARÆNETICA CIVIVM CÆLESTIVM

Ad mortales exulantes. alludens ad illud.

Regnum cælorum vim patitur.

Chorus Primus.

QVotquot à nostro procul exulatis
Orbe mortales, & inhospitalis
Incolæ vallis, prece lacrymosa
Frangitis auras;
Huc ad apricæ stationis oras
Fluctibus pressum caput, irretortæ
Huc *Spei* plenos, animosa turba.
Tollite vultus.

Nemo desperet: per amara ponti
Itur ad littus, per acerba rerum,
Et per abruptas, loca senta, rupes,
Itur ad astra.
Quid? duces magnos documenta magni
Vultis exempli? dabimus potentes
Antesignanos; *via longa per ve-*
stigia claret.
Hoc iter (cælo facimus stupente)
Hoc iter pressit *Deus* ipse, vestra
Carne vestitus, Patris æuiterni
Nobile VERBVM,
Ille *Bethlemi* tuguri sub vmbrâ
Vagijt pupus tener, & reclinis
Asperas sensit stipulas, & acres
Ore decembres.
Ille vix natus rabiem Tyranni
Passus, & duri exilium Canopi:
Quot latet brumas data *Nazarais*
Gloria terris!
Quot subit casus! mihi testis ingens
Ora *Iordanis, Galilæa* testis,
Et *Salem*, & montis iuga parricidæ, &
Funebris arbor.
Hic hic est *IESVS* tibi dux: cruentum
En iter signat, reseratque clausum
Horridæ Ligno *Crucis*, & trabali
Æthera clauo.

Chorus Secundus.

Ite fortes, ite læti
Nulla parca, nulla lethi
Vos imago terreat.

Ad coronas per labores,
Ad coronas per cruores
Ite, nullus horreat.

Chorus Primus.

Illa formosi genitrix *Iesu*
Arduum, nato præeunte, callem
Triuit, immensos tolerare docta
Virgo labores.
Clamat hoc Bethlem, Pharos, atque Nilus,
Clamat hoc omnis Nasaræa tellus,
Hoc Apellarum furor, hoc amaro
Golgotha fato,
Hanc triumphales subiere turmæ,
Laureas quæ nunc, & olympicarum
Arcium primas meruere sedes
Alite fausta.
Nullus ignauo locus hic: inertes
Arcet hinc fucos [illegible]
[illegible]
Liminis custos: numerans beandæ
Vulnera turbæ.
Purpuratorum viden' vt coruscat
Agmen heroum? sua quemque virtus
Fecit illustrem, *placet empta multo*
Palma cruore.

Chorus Secundus.

Ite fortes, ite læti,
Nulla parca &c.

Chorus Primus.

En crucem, *Iesu Petrus* æmulator
Ambit, en constans, animæque magnæ
Prodigus, nudos iugulo patenti
Excidit enses

Paulus. hos longus comitatur ordo,
Per cicatrices benè nota turba;
In Dei castris, cecidisse crebro
Vulnere laus est.
Hic suos *Laurens* animosus ignes
Iactat, & fixus iaculis *Sebastes*
Tela commendat; pharetramq; diui
Cantat *Amoris*.
Hic rotas, restes, tulit, hic catastas,
Hic globos flammæ, picis, hic ahena:
Pulchrior semper rutilante virtus
Exit ab igne
Dira tortorum series in ipsis
Lassa tormentis ruit inferendis:
Fronte sed contra stetit irreflexâ
Masculâ pubes.

Chorus Secundus.

Ite fortes, ite læti,
Nulla furca, nulla lethi
Vos imago terreat. &c.

Chorus Primus.

An satis necdùm stimulorum, inertes
Commouet fibras? dabo densiorem
Cælitum turbam, residesque subdam
Calcar in armos.
Ordinum sacros age primipilos
Cerne, qui summas rapuere palmas
Ima calcando: quibus omnis ætas
Acta sub armis.
O quot insultus retudit barathri
Nobili *Thebes* pugil è palæstra
Clausus antrorum, nemorumque opacâ *Antonius* vmbra.

Quis graues luctas comitum recenset?
Siue quas cudit stygis inquilinus,
Siue quas pellex caro, seu doloso
Gloria vultu.
Montibus scribens sua bella, *Eremus*
Dixit, has æuo veniente pugnas
Posteris narret malè credituris
Fama superstes.
Quis tuos nescit, *Benedicte*, vepres?
Insolens blandæ Veneris cubile?
Hoc perennantum legis è vepreto
Serta rosarum.
Quot per immanes cumulos dolorum
Mella *Bernardus* rapit! & beati
Vberis compos, bibit affluentes
Nectaris haustus.
Duxit inuictas acies in arma
Clara *Gusmani* generis propago;
Inscius frangi, medio infrementum
Turbine rerum.

Chorus Secundus.

Ergo fortes huc volate,
Nil in ipsis palpitate
Tartari furoribus:
State vultu, state mente,
Vos olympo conciente
Tot ducum clamoribus.

Chorus Primus.

Illud vmbrorum iubar, & Minorum
Norma *Franciscus*, rediuiua gessit
(Grande portentum!) simulacra *Christi*
In *Cruce fixi*.

En per obstantes cuneos calumni-
arum,& orcinæ furias procellæ
Ardor *IGNATI*, tulit inuidendum
Nomen *IESV*.
Quanta terrarum mala, quanta ponti
Xaueri, passus, spolijs onustus
Orbis eoi, *Iapona* subacto
Addis olympo!
Ecquid ingentis socios *Loiola*
Cernis auratis radiare campis?
Eia palmares proceres adite
Impiger aude.
An quia excelsum decus est præire,
Subsequi forsan pudet? hinc facessat
Degener factis Pudor, otijque-
Ignobilis auctor.

Chorus Secundus.

Eia fortes huc volate &c. vt sup.

Chorus Primus.

Candidatarum procul intuere
Virginum cætus: *Sua quamque laurus*
Clarat: his compar, rape de cruentis
Lilia Spinis.
Inde sublimis domitrix rotarum
Te vocat læto, *Catharina*, plausu:
Hinc suas, tolli facilis sub astra,
Commodat alas
Magdalis. cæca tibi nocte tædam
CLARA prælucet, tibi Virginalis
Nuptias *Agni* canit Ignis *AGNES*:
Cæciliaque.

Te trahit festuio, per inane, carmen;
Te trahit fuso *Basilissa* flore;
Surge, vel toto modò fulgurabis
Igne *Theresa.*
Surge, iam densus graditur viro vir,
Vmbo & vmbonem premit, ensis ensem,
Arma cum parma rapit arma, circum
Buccina clangit.
Panditur cœlo via vi, lacertos
Poscit, & mentis generosioris
Impetus vastos, aliàs inexpu-
gnabilis æther.
Perge districti per acuta ferri,
Scande per stantes iaculorum acerues,
Hoc viri demum est, metuenda cunctis
Monstra domare:
Scande quid cessas? *benè constat iste*
Quolibet regnum pretio. trecentæ
Si tibi palmæ, rape vel trecentis
Sidera palmis.

Finis Libri Tertij.

PIA-

PIARVM LACRYMARVM FONS SIVE LIBER IV.

LACRYMÆ DVLCES, ET SVSPIRIA PHILOTHEI AD CHRISTI NATALEM Vehementer aspirantis.

In illa Isai. verba cap. 45.

Rorate cœli desuper, & nubes pluant Iustum, &c.

QVæris forsan, benigne Lector, quis sit ille *Philotheus*? Tu ipse es, si aspiras, & *Deū* amas, *Deū* inquā pro te, tua carne vestitū. Audi igitur, quid tecum ille suspiret.

ELEGIA I.

His ego lassaui clamoribus æthera, meque,
Nuper in arenti, corpore stratus, humo,
Has iterum & meritò iuuat integrare querelas,
Et nimis, heu! surdum sollicitare polum.

Vos cupidæ mentes mecum aspirate, fauete,
Nam facit ad planctus auris, & aura meos.
Et geminanda locus vocat adsuspiria: circum
Ferte leues oculos, omnia mæror habet.
Ecce grauis tellus præruptis vndique saxis
Horret, & inculto stat mala gleba solo.
Pabula si quæras, steriles fert ora myricas,
Si salientis aquæ munera, fonte caret.
Interea fauces sitis & præcordia torquet,
Vnde sitim releuem, non datur vnda mihi.
Interea stomachi latrantis inaudio rixas,
Vnde famem pellam, non datur esca mihi.
Quid faciã geminis obsessus ab hostibus? Ille
Intentat stomacho, faucibus ille necem.
Fortè lacuna fuit, rediijt spes vna bibendi,
Fraudat anhelantem sicca lacuna sitim.
Et propè visa seges spem nutrijt: illa sed eheu!
Nil nisi fallacis corticis vmbra fuit.
Sic male frustratus duplici spe, pectora plango,
Et singultum, & suspiria longa traho.
Tunc mihi quæ tellus negat arida, posse putaui
Aëris hæc mediâ de regione dari.
Audieram niueo nam quondam lacte pluisse,
Sin minus hic lactis, spes tamen imbris erat.
Audieram liquidas dilapsum manna per auras,
Nectaris aut mannæ spes quoque nata fuit.
Spes ea cassa: tamen necdum spes occidit omnis:
Prospicio, quisnam spiret in orbe notus.
Quid spectare iuuat? sicco implacabilis ore
Flat boreas, pluuium non amat ille Iouem:
Quid

Quid tibi de scythicis inclementissime ventis,
Quid rigidâ mecum prælia fronte geris?
Æole quid cessas? Aquilonis flamina claude,
Arctoas repetant, sarmaticasque plagas.
Auster ades, rogat omnis ager, rimosaq; tellus;
Omnis & humenti supplicat herba noto.
Auster vbi es, quæro: renuit responsa petenti,
Hippotaden Austros continuisse reor.
Si negat Auster aquas, cohibet si Iupiter imbres,
Inque meam iuret durus vterque sitim.
Eequid agam? magis atque magis sitis vrit: & æger
Vix ad anhelantis, spiritus ora redit.
Quò ferar infelix? vires frustrantur euntem,
Et tamen audendum est: vlteriora sequar.
Vnica spes restat, nisi me quoque sidera fallunt.
Spes bona: non norunt sidera fraudis iter.
Vos igitur post tot suspiria languescenti
Pandite roriferas astra serena fores.
Vos penes est *roris diuini* copia, cuius
Stillula pro mundis mille sat vna foret.
Eia expectatum cœlo demittite *rorem*,
Quem pridem, Amosides, Isaidesque rogant.
Post tot olympiadas, supplex quem postulat orbis,
Quem mea vox, mea mens, quem sitis ipsa sitit.
Candide *ros*, plue candide *ros*, volo *rore* lauari.
Vt fiam è coruo protinus albus olor.
Gemmee *ros*, flue gemmee *ros*, quonam vsque moraris?
An *Gedeonis* amas vellera? *Vellus* adest.

Vellus

Vellus adest *Mariæ*: sacer *ros* labere cælo,
Mox grauidata sacro viscera *rore* geret.

ELEGIA II.

Ros cælestis defluit in vterum B. V. *Mariæ, & inde in terram.*

Astra fauent. *ros* ecce polo fluit, optima *Virgo*
Excipe parthenio rorida dona sinu.
Nos circum gratamur, & hunc meliore smaragdo
Signamus (sciat hoc orbis vterque) diem.
Plaudimus in commune: nouo certamine victrix
Terra suum *Rorem* iactat, & æthra suum.
Hos tamen applausus inter, *rorisq;* triumphos,
Lætitiæ, *Virgo* pars tibi summa datur.
Diua, potes cælis meritò contendere: rorem
Quem sua non capiunt sidera, ventre capis.
In gemmam *Ros* ille tua vertetur in aluo;
Præque tua hac gemmâ, cetera gemma lutũ.
Concha quater felix, *gemmæ rorisq; Maria*,
Quam *ros* vita tibi est, tam tibi gemma decus.
Dic mihi, cùm sacro tumuerunt viscera rore,
Quis tibi tunc animus, quis tibi sensus erat.
Vix tibi, cælesti credebas ebria succo,
Scilicet insolito digna puerperio.
Exundasse reor totis sic gaudia fibris,
Diffracto saliunt vt noua musta cado.

Si tua ferre negant fœcundum pectora rorem,
Pande sinum, *rorem* deplue, pande sinum.
En toti pendemus, anhelamusque morando:
Hunc satis est lunas delituisse nouem.
Prodigium! en clauso (videt hoc natura, stupetque)
Ros fluit optatus *Virginis* è gremio.
Hoc cum *rore* iuuat lacrymas miscere: suauem
Producet rorem lacryma, ros lacrymam.
O bona nox: *ros* illæsâ qua fluxit ab aluo,
Lucida nox! præ qua sit tenebrosa dies.
Miratur Matuta tuos *Maria*, liquores,
Non venit è thalamo, *ros*, ait, ille meo.
Scilicet è cælo venit, & de virgine terra:
Hæc meritò tanti *roris* origo fuit.
Si rores Aurora parit prænuntia solis,
Iure quis *Auroram* te sacra *Virgo* neget?
Terra faue, gremiumque tuum pande obuia, rorem
Excipe, suscepto nobilitanda Deo.
Ille maritabit guttis felicibus herbas:
Ille dabit segetes, ille beabit humum.
Sed vereor. *ros* ille trucis ne frigore brumæ
Decidat, immiti conglaciante noto.
Hinc Aquilo, gelidâ ne *ros* concrescat ab aura,
Ille cupit Zephyros, ver cupit ille suum.
Huc igitur properate, leui gens blanda susurro,
Postulat hic vestras roscida gutta vices.
Væ tibi bruma, sacrum si *rorem* læseris: istinc
Ibis ab hybernos rapta Borysthenidas.
Si tamen, vt sæuæ suadent quandoq; procellæ,
Attigeris, *ros* hic sit mihi gemma, volo.

Sic

Sic ero cum gemmâ brumali tempore diues,
Vere sed in *rorem* gemma liquata fluat.
Vel si gemma manet; sit gemmula floris, amœnum
Explicet vt calycem picta per arua suum.
Hunc cecinit *rorem florem*, fore, nobilis auctor,
Nazareum certè floridulumq́ vocat.
Ros erit ille puer, pascat qui nectare mentes,
Quique oculos rapiat, *flos* erit ille puer.
Dum me fonte tuo, dum me mulcebis odore,
Ros mihi tu *Iesu*, flos quoque gratus eris.

ELEGIA III.

Vbi ros ille cælestis, & quando inueniendus sit.

QVæris vbi lateant sacri spectacula *rorû*,
Consule Bethlemici rura beata soli.
O *domus*! ô patria! ô Bethlem faustissima! verè
Illa *domus panis*, rore beanda fuit.
O vbi sum? quis turbo leues me tollat in auras?
Longius ignauæ quid fero vincla moræ?
Ponite me, Diui, placidæ propè mœnia Bethlem,
Mœnia vel superis inuidiosa locis.
Ponite dilectæ iuxta præsepe cauernæ,
Magnus vbi latuit defluus axe *Deus*.
Hic ego felicis tranquilla silentia vitæ
Exigerem, Domini clausus in hospitio.

Vel

Vel bouis hic ritu, vel cernuus instar aselli
Afflarem cunas, care puelle, tuas.
Hic quoque siderei circum spiracula fontis,
Proluerem æternis pectora delicijs.
Hic nec anhela sitis premeret, nec tristis egestas:
Ros mihi mensa, latex, dos mihi tota foret.
Ille meus, *ros* ille meus, *ros* nectar amantum,
Roscidus ille *Deus*, melleus ille puer.
Ecquid adhuc cunctamur? *amor* talaria nectet.
Ille mihi Perseus, Dædalus ille mihi.
Rumpe moras, pia turba, fugit *ros* ille morantes,
Namque sub auroram roscida gemma cadit.
Collige manè nouum, dum stillat ab æthere, *rorem*,
Irriget vt vitæ prata diurna tuæ.
Planta sumus, *Deus* ipse sator, *Deus* aureus imber,
Hoc si rore caret planta, virore caret,
Eia agite hunc totis rorem insinuate medullis
Acrisionæo *ros* magis imbre iuuat.
Sed quid ego intueor? rubeum *Ros* ille colorem
Induit: vnde nouus prouenit ille rubor?
Scilicet in sacrum *ros* vertitur ille cruorem,
Quem *Iesus* ô fiens fundit, & emoriens.
O *ros!* ô rosei *Iesu* pincerna liquoris
Te volo, te penitis ardeo visceribus.
Dum procul à patria, sterili peregrinus in orbe
Exilij lacrymor tædia multa mei,

Hic

Hic me infelicē tesqua inter inhospita plantam
Aspice, meque tuo *rore, cruore* riga;
Donec odoratis superûm depangar in aruis,
Ver vbi continuum, rosque perennis erit.

Lacrymæ dulces Trium Regum Tribus muneribus mixtæ, Ad pedes IESV CHRISTI Regis Iudæorum, in Bethleem nati.

VEtus & cōmunis est opinio, *Magos*, hoc est Persarum sapientes (quorum meminit *Matt.c.2.*) Reges fuisse, & ternarium numerum non excessisse, adeoq; numero suo congruenter tria munera nato *IesuChristo*, & summa veneratione, & lacrymis præ gaudio suauiter fluentibus obtulisse. An singuli singula, vel diuersi diuersa deprompserint dona, nō disputo. Lubet certè *V. Bedæ* sententiā sequi, qui existimat 1. *Melchiorem* dictum reliquis ætate, & meritis preferendum, *aurum*, 2. *Gaspare* nomine, *Thus*, 3. *Balthasarem*, colore fuscum *Myrrham* præsentasse. Hoc igitur ordine eos nunc exhibemus.

ELE-

ELEGIA IV.

Primi Regis Melchioris dona, Aurum, & lacrymæ.

Ecce bonis auibus, Nabathæi ruris alumni,
Ecce bonis, volui dicere, sideribus,
Imperijs parere tuis, signisque parati
Attigimus cunas, diue monarcha, tuas.
Et circum affusi lacrymis manantibus vltro
Dona damus meritis inferiora tuis.
Altera dona, aurum: lacrymas dona altera: si quid
Ista valent, *Puer*, hæc *Tu* pretiosa facis.
Aurea dona damus: si ferrea dona daremus,
Contactu fierent aurea dona tuo.
Non ideò, dilecte, Midam te credo: facessat
Fabula, sed nomen *Omnipotentis* habes.
Nomen habes viresque: nouas hinc omnia, cælum,
Astra, solum, ætates, tempora, regna, duces.
Aurea Te nato (sors læta!) renascitur ætas,
Hinc fluit ad cunas aurea gaza tuas.
O vtinam quidquid fului complectitur auri,
Funderet in nostros, prodiga terra, sinus.
O vtinam lectos Phœbo sub vtroq; smaragdos
Spargeret in nostras, Thethys amica manus,
Congestos onychas, adamantas, iaspidas, ipse
Subijcerem plantis, pupule care, tuis.
Protinus hic ingens rutilantibus aula pyropis
Surgeret, æthereis æmula fornicibus.
Protinus hic solium gemmisque auroque coruscum
Sollicitus docta conderet arte labor.

Adderet

Adderet & cunas Sarrano Murice tectas,
Eque rosis thalamum sterneret & violis.
Et meritò, quoniam seruit tibi gemmiferum ver,
Dignus eras gemmis, nec minus ipse rosis.
Vana sed exopto: leuis hæc ludibria pompæ
Discimus exemplo despicienda tuo.
Cerneris hic nudus, cannâ malè tectus agresti
Straminibus tenerum composuisse latus
Aula casa est, præsepe thronus, rude purpura fænum
Pannus opes, procerũ, bos asinusque, cohors.
Distat ab *Herodis* fastu tua regia: regni
Hæc species nullis cognita Cæsaribus.
Sic decuit venisse *Deum*, qui mollia natus
Spernere, difficilem pandat ad astra viam.
O quot erunt, Duce Te, qui post labentibus annis
Fortiter insistant, quod modò carpis, iter.
O quot opes titulosque suos, fascesque relinquent
Et venient nudo sub tua signa pede.
In duce vis tanta est. tenero moliris in æuo
Grandia: quis nolit te præeunte sequi?
Ire iuuat quocumq; iubes, quocũq; præibis,
Mene iubes sceptrum ponere? pono lubens,
Me cupis exilio patrios mutare penates?
Non renuo, tecum pauper, & exul ero.
Mene cupis duros tecum exantlare labores?
Dulcis erit, pro Te quem tolerabo, labor.
Hæc modò flãmatis properè cõcepta medullis
Successus habeant fac bona vota suos.
Tu tamen interea ne munera despice nostra,
Si placet hoc, aliud mox ego munus ero.

ELE-

ELEGIA V.

Secundi regis Gaspari dona, Thus & lacryma.

SI caperis donis puer auree, thurea supplex
Dona fero, *Deus es*, thure litabo *Deo*.
Addimus & lacrymas, nihil est pretiosius illis,
Sæpe suas arbor sudat, at has oculi,
Munus vtrumq; tibi placeat, sacramus vtrũq;
Et graue-olens poscit talia dona locus.
Nos lacrymis sordes, tollemus odore mephitim,
Inde domus cunis hæc erit apta tuis.
Cinnama ferre quidem poteram, casiamque crocumque,
Plus facit ad laudem thuris acerra tuam.
Thura Panomphæo nimirum grata Tonanti
Nescio quid sacræ relligionis habent.
Et Puer, ô! de te quid non oracula produnt?
Teste *Balam*, nobis nobile sidus eris.
Scimus id experti; Stellâ duce, *Stella* reperta es,
Iam video, *Balaam* verus Apollo fuit.
Est quoque diuinis qui te de vatibus *Ignem*,
Dixit, huic *Igni* pinguia thura damus.
Scilicet *Ignis* edax mihi cor cum thure cremabis,
Hoc face consumi nobiliore nequit.
Sunt qui te *fontem* puer O bellissime, dicant,
Hinc redit in fontes lacryma nostra suos.
Te quoque *Pontificem* vatum præsagia clamant,
Et benè *Pontificem* mascula thura decent.
Cresce Puer, sacras mox thura videbis ad aras,
Auspicijs surgent plurima templa tuis.

Mox

Mox tua maiestas fidei prouecta quadrigis,
Hesperias vltra, mygdoniasque domos
Ibit ouans, populosque sacris splendoribus ictos
Ex acherontæis eripiet tenebris.
Ergo erit illa dies, cum tu pulcherrime Titan,
Gentibus approperans exoriere nouis.
Nos huius, tua turba *Deus*, primordia lucis
Vidimus, ad radios currere prompta tuos,
Venit ab extremis, Austri regina, Sabæis.
Hanc, *Salomon*, famæ perculit aura tuæ.
O *Salomone* mihi longè præstantior ipso,
Fama minor forma, pusio diue, tua est.
Sed quid ego hæc tecum? tua me, tua gloria, *Christe*
Obruit, & de te, qui modò fluxit, odor.
Ite procul, iam thura mihi sordetis, odorem
De te manantem, flosculé dulcis, amo,
Votiui hinc vereor tibi pandere thuris aceruos,
Nam thura, & cunctas vincis odore rosas.
Pando tamen, ne sperne: meum si munus amaris,
Faxo, tota tibi seruiat Arabia.

ELEGIA VI.

Tertij regis Balthasaris dona, Myrrha, & lacrymæ.

THurilegos arabas, Panchæaq; rura reliqui,
Vt fruerer vultu, diue puelle, tuo.
En fruor exultans: nec me mea gaudia fallunt,
O merces longæ digna labore viæ!
En dulces lacrymas, dulcis præsentia formæ
Elicit, in tali fonte triumphat amor.

Fuscus

Fuſcus ego venio, fuſcum ne temne colorem,
Nam color ad mores non facit ille meos.
Eſt mihi candida mens; facies ſi fuſca videtur,
Crede, facer nimiã me face aduſſit amor.
Ille amor, ille tuo non reſponſurus amori,
Qui te de ſuperâ traxit ad ima domo.
Vt Tu deſereres Patrium, Rex inclyte, Regnũ,
Vix cælum tanti, totaque terra fuit.
Vt te conſpicerem, volucri pede lætus adiſſem
Mille ſupra cælos, mille ſupra maria.
Fortunate puer, tibi cernuus offero Myrrham,
Excipe & hæc gremio dona Sabæa tuo.
Integer es. Myrrhæ non indigus; attamen ipſe
Porto ſepulturæ præuia dona tuæ.
Gaude incorrupto, tibi congruit ille, liquore;
Nam liquor hic index integritatis erit.
Signat & hæc lacrymas, lacrymoſo è cortice Myrrha,
Sæpiùs ingrato quas ſuper orbe dabis.
Quam generoſe puer, ſeries operoſa laborum
Te manet. O animo lata palæſtra tuo!
A Solymis metuo; Solymæ tibi dira minantur,
Bellaque vix nato iam metuenda mouent.
Sed quos intueor luctus? quæ funera? quorum
It cruor? ô teneri, victima prima greges!
Quo ruitis populi? quorſum arma, ſudeſque, faceſque?
Ah! carum peteris ſæua per arma caput.
Vltima res agitur: iam barbara vincula collum,
Iam manicæ immeritas implicuere manus.
Ingruit horrida nox & noctis amarior vmbris
Poſtera lux, lucem non habitura ſuam.

Quæ flagra, quos sentes video? quæ probra furentum
Audio? Crux humeris quam grauis illa tuis!
Hæc ego vaticinor, neque talia dictat Apollo,
Sed tu me vatem vi propiore facis.
Perge agedum toto mea numine pectora comple,
Diua Parens *Pallas*, tu mihi *Phœbus* eris.
Non clarias lauros, non delphica templa petemus,
Hæc mihi præ Delphis sacra cauerna placet.
Talibus ex adytis responsa fideliter edet,
Qui silet augustâ cum genitrice, Puer.
Si lubet, ô comites, Nabathæa reuisite regna,
Hac iuuat æternos figere rupe lares.
Hic ego, rex solymæ, tuum (precor, annue votis)
Mancipium fieri, tempus in omne, volo.
Si fidei testem, post iam data munera, poscis,
Affigam cunis *Cor* anathema tuis.

LACRYMÆ DVLCES ET PII AFFECTVS D. BERNARDI CLAREVALLENSIS ABBATIS Erga *Iesum Christum* in Bethleem natum.

ARGVMENTVM.

D. *Bernardus*, vir planè lacteus, atque mellifluus, suasimum

Iesu

Iesu Christi natalem vnicè semper dilexit: vnde & eidem adhuc puerulo, mellitissimi infantis *Iesu* natiuitas, secundum quietem obiecta est: & prouectiori iam ætate suos amores, ergà puerum Bethlemiticū, puerique cunas, dulcissimis scriptis ostendit. Hunc iam è clara valle, in Bethleem, ardentissimo properantem affectu sequamur.

ELEGIA VII.

Bethlemiæ rupes, adnataque rupibus antra,
 Antra reclinato nobilitata *Deo*.
Vos ego semoto *Bernardus* ab orbe saluto,
 Et cupidas tendo, quà licet, vsque manus.
Tendo gemens, gaudensque; parit mihi gaudia Bethlem,
 Prouocat & gemitus dissita terra meos.
O vtinam vel hirundo forē, vel more columbæ
 Traijcerem celeri nubila remigio.
Trās iuga, trās valles, trās æquora vasta volarē,
 Et fierem caris accola porticibus.
Fallor? an aërias tollor sublimis in auras?
 Subleuat & nostros ala gemella pedes?
Auferor, ô superi! procul auferor: eia valete
 Dum remigrem, valles, dulcia tecta, meæ.
Imus ad optatas pennis felicibus ædes,
 Applicor & terris, gens Ephratæa, tuis.
Hospes adest: date signa *Deo*, date signa *Mariæ*,
 Notus ab apricis vallibus, hospes adest.

Pande fores *Senior*, tuus hoc inclamat alumnus,
Tempora noctis eunt, limina pāde, precor.
Quo ferar in tenebris? brumali tempore? circū
Trux aquilo gelidam frigore stringit humū.
Ignis ibi meus est, quis amanti deneget ignem?
Vt fruar hoc, moto cardine pande fores.
Ne trepida, niueo pridem me rore *Maria*
Imbuit, & puero est cognitus ille puer.
Ille puer, Deus ille, sui decus omne mapalis,
Ergo age pande; moras impiger odit amor.
Audimur, crepuere fores, postesque benigni,
Diuitias aperit læta cauerna suas.
Iam video: pro! gaudia quę! quę gloria! quę lux!
Quæ noua mortali non memoranda sono!
Omen io felix! arrisit melleus infans
Nutibus & qui sim forsan, & vnde rogat.
Bernardus, puer alme tuis formosior astris,
Ipse ego sum, dici si sinis ista, *Tuus*.
Et Tuus huc venio clara de valle, sed illa
Quod claret, radijs debet id omne tuis,
Obscurâ venio solus de nocte: sed istic
Nox, vbi tu mea lux nasceris, esse nequit.
Hoc monstrauit iter felix Melibæus, & Ægon
Qui meruit cunis primus adesse tuis.
Et didici regum stellâ præeunte, latentem
Exiguâ solem quærere posse face.
Te reperi, satis est: superaui vota, triumpho,
Exclamare nouâ nunc ratione lubet.

Eiusdem de eodem affectus pij.

AFFECT. I.

O puer! ô cunæ! ô præsepia numine plena!
O pecora! ô fænum! stramineique tori!

O *Ioseph*! ô virgo parens! ô inclyta Bethlem!

O stabulum! ô stabuli gloria summa, *Deus*!

Magne *Deus* (noua res, noua vox) *Deus incarnate!*

O! quid plura rogas? ô! stupeo & sileo.

II.

Vox redit, hanc vocem puer hic sine voce redonat.

O *infans verbum*, num tibi verba placent.

Ipse siles: verbis certè ista silentia præstant,

En loquor; & non vis me modò forte loqui.

Dulce loqui tecum, tecum quoque dulce silere,

Quid magis expediat, tu tamen ipse doces.

Nil opus est verbis: satis est *breue* cernere *verbum*;

Et lacrymis pariter, luminibusque loqui.

Sic mecum loquitur, qui nunc tacet, aureus infans,

O! quantum vel sic, *Christe*, tacendo tonas,

III.

Linea ni cupidam magnetica vergat ad arcton,

Mobilis in gyros itque reditque suos.

Ni splendore suo Titan discriminet horas,

Protrahit ingratos anxia vita dies.

Sic nisi Te spectans, à te quoque specter, *Iesu*,

Irrequies, motus, noxque perennis erit.

Christe, meus magnes, meus es sol: attrahis vris:

Te datur ex vno luxque quiesque mihi.

IV.

Auditis? clamant rigidæ, præsepia cunæ,
Asperitasque loci, pauperiesque casæ.
Auditis? clamant teneri sine viribus artus,
Et tenues panni, fasciolæque breues.
Auditis? clamant motæ vagitibus auræ,
Et Boreas circum peruia saxa, sonat.
Humiduli clamant formosi infantis ocelli,
Turgidulæque manus, algiduliqué pedes.
Denique vox puer est totus, vox tota supellex,
Parua licet, tamen est vox quoque magna, specus.
Omnia cum clament, si nil clamore moueris,
Durior hac petrâ es, littore surdior es.

V. *Echo.*

Audio: compellat me *Bethlemiticus* infans
Voce nouâ: quanam? nutibus & lacrymis.
O lacrymæ! ô fletus! *ECH-lætus*, mortalibus ægris
Gemmeus est, *ECH meus est*, cælicus ille liquor,
ECH-I-cor, & in tali te flumine, *ECH-lumine*, merge
Balsama dimanant his loculis, *ECH-oculis*.
Quid me interpellas toties remeabilis Echo?
ECH Eho! quid *Iesu* forte gemente gemis?
Præbe age responsum *ECH Sponsum*, nil dulcius isto
Nomine, sed Sponsum sic recubare graue est.
En iacet in stipula: quænam hæc primordia? *ECH Dia*,
Cur ita vagit? *ECH-agit*, quid? scelus imbre lauat.

Quod scelus? an matris primæuæ, en paruulus, *Eua*
Inquit, & illud *Væ* me premit, & perimet.

VI.

Huc populi properate, humili acclinamini antro,
Et date Bethlemicis basia liminibus.
Hic sacer est puluis, penetralia sacra cauernæ,
Saxaque cretæis anteferenda iugis.
Non Lyciæ sortes, non hic Pataræus *Apollo*,
Hic trepodes nulli, nullaque laurus adest.
Certius ast omni tripode hic oracula dantur:
Turba faue; Nudus prædicat ista puer.
Aurum, delicias, regalia sceptra, tiaras
Spernite: calcari nunc *Deus* ista docet.

VII.

Numine quid maius? stabulo quid vilius? ipse
En *Deus* in vili iam stabulatur humo.
Ergo valete aulæ, regum quoque fulgor inanis,
Aula mihi stabulum est, & stabulum aula mihi.

VIII.

Hactenus in cælis libuit, dilecte, morari,
Nunc lubet in terris, plus modò terra placet.
Exemplis trahimur: placuit si terra Tonanti
Præ cælo, placeat cur minus illa mihi?

IX.

O felix præsepe! tibi *Bernardus*, amicè
Inuidet, & fieri tu quod es, ipse velit.

X.

Debuit esse aliquid, cur patria linqueret astra
Astrorum dominus, debuit esse aliquid.
Et fuit, haud dubito: quid? si rectè auguro, gemmam
Perdiderat vili hanc repperit in stabulo.

XI.

Et noctem, & stabulum, & præsepe, & mœnia Bethlem.
Eligis, hunc orbem dum nouus hospes inis.
Et lucem, & montem, & truncum Crucis, & solymæ vrbem
Præponis, mortem, dum pius obses, obis.
O ratio dispar! nil tali obscurius ortu,
Morte nihil tali clarius esse potest.
Natalem vis morte tua illustrare? sed illud
Nequidquam, *Soles*, sis vbicumque lubet.

XII.

Ingrati Bethlemicolæ! *Deus* arbiter orbis
Æthere deserto mænia vestra subit.
Semirutam tamen hunc vos ablegatis in ædem,
Et mala queîs recubet, vix hypogæa datis.
Indignum facinus! tamen excusabile: Bethlem
Infantem nunquam viderat ante *Deum*.
Causa mali est vestis: *Serui Deus induit ora*,
Ecquis in hac Dominum veste latere putet?
Ergo *Deus* vestem vel tolle, vel indue regem,
Quotquot habet Bethlem, tunc dabit ipsa domos.

In

XIII.

In stipulis ignem video, (mirabile visu!)
Nec tamen has stipulas proximus ignis edit.
Nempe idem in stipula est, Sinai qui vertice visus,
Arsit in illæso, *Mose* stupente, rubo.
Qui stipulæ parcis, nostris ne parce medullis,
Materies flammæ congruit illa tuæ.
Quod si fortè meo silices stant pectore, tunde:
Nam silices flammam si quatiantur, habent.

XIV.

Quotquot inextinctos astrorum cernitis ignes,
Dicite, nunc tibi sol, lunaque mersa latet?
In cælis pridem, vigilans vtrumque requiro,
Nec tamen in cælis ille, vel illa micat.
Nunc vbi sint, didici: mortales credite cælo
Exul, in angustam venit vterque casam.
Hic *sol* hic *luna* est: *sol Iesus*, *Luna Maria*.
Nunquam tam *Soli Luna* propinqua fuit.
Tolle meas, ô! tolle meas, vicine, tenebras
Luce tuâ *Titan*, *Cynthia* luce tuâ.

ELEGIA VIII.

Miratur S. Bernardus, Dei filium, in sua olim maiestate terribilem, nunc in nostra humanitate amabilem.

O Generi concessa salus, & gaudia nostro,
O animi *Iesu* portio blanda mei!

Dum super æthereas, gremio Patris abditus, arces,
Delicias cælo dissimulante, fores,
Nemo tuas ausus temere contingere sedes,
Aut conopei limen adire tui.
Tot circũ tonitrus, radijque, ignesq; micabãt,
Ipsaque caligo causa timoris erat,
Relligioque loci, maiestatisque verendæ
Numen, & immenso gloria nixa throno.
Ille tui quondam pars fulgentissima regni
Lucifer, æternis æmulus imperijs,
Altius audaci voluit se tollere pennâ,
Et solij fasces sollicitare tui:
Inque nouos ausus socias excire phalangas,
Et coniuratâ bella mouere manu.
Non tulit hoc facinus tua dextera: protinus ictus
Ille superbificâ cum legione ruit.
Et ruit æternum, nec enim reparabile damnum est,
Quam cuperet pennis nunc caruisse suis.
Scimus vt Isacræ celeberrima gloria gentis
Fœderis arca, suis inclyta prodigijs,
Nec propius tangi, nec se sit passa videri,
Et tamen illa Tui vix leuis vmbra fuit.
Hanc vbi Bethsamij procul aspexere, repentè
Non expectatâ procubuere nece.
Hanc vbi labentem tetigit miserabilis *Oza*,
Occidit, & tactu plectitur ille suo.
Christe potens rerũ, quantũ mutatus ab illo es
Vindice, qui cælum, qui tremefecit humum.
Ecce, quod auderet sperare, aut poscere nemo,
Attulit hæc sacris nox operata tuis.
Ecce iaces facilis tangi, facilisque videri,
Quàm benè te nobis assimilauit Amor!

Inge-

Ingeniosus *amor*, nostræ tibi carnis amictum
Texuit, atque breuem composuit tunicam.
Materiam vestis (nullis res cognita seclis)
Virgo puellæ tibi, virgo puella dedit.
Hanc & *Amor* teneros bellè distinxit in artus,
Sat probat artificem splēdida forma suum.
Frons ebori, ceruix lacti, duo lumina stellis,
Æmula sunt vernis bina labella rosis.
Lingua merum mel, poma genæ, quid cetera sector?
Illecebras omnes hic sibi fixit *Amor*.
His trahor illecebris, ô mellitissime *Iesu*,
O puer, ô matri sarcina grata tuæ,
Te cupio, & vereor propius cōtingere, nāque
Nescio quis roseo terret in ore nitor.
Sed quid ego verear? nulla est formidinis ansa,
Sustulit è digitis arma timenda suis.
Stant procul hinc tonitrus, fulgurque, ignesque trisulci,
Blanditias comites, ne timeatur, habet.
Ergo agedum, dilecte, meis succede lacertis,
Hūc propera, auulsus matris ab vberibus.
Dictus ego à Nardo, non nomen inutile gesto,
Mox thyma, mox nardum, mox melimela feres:
Et casiam, & stacten, & olentis semen anethi,
Et gremio quidquid diuite Chloris habet.
Dona placent pueris; donis non flecteris? vlnæ
Plus tibi maternæ, quam mea dona, placēt?
Munera si renuis, fratris ne despice vota,
Sum tibi materno sanguine frater ego.
Ergo agedum, germane, meis succede lacertis,
Obsequij partes experiere meis.
Da mihi te facilem Genitrix formosa puelli,
E manibus pendent dona cupita tuis.

Adderet & cunas Sarrano Murice tectas,
Eque rosis thalamum sterneret & violis.
Et meritò, quoniam seruit tibi gemmiferum ver,
Dignus eras gemmis, nec minus ipse rosis.
Vana sed exopto: leuis hæc ludibria pompæ
Discimus exemplo despicienda tuo.
Cerneris hic nudus, cannâ malè tectus agresti
Straminibus tenerum composuisse latus
Aula casa est, præsepe thronus, rude purpura fænum
Pannus opes, procerū, bos asinusque, cohors.
Distat ab *Herodis* fastu tua regia: regni
Hæc species nullis cognita Cæsaribus.
Sic decuit venisse *Deum*, qui mollia natus
Spernere, difficilem pandat ad astra viam.
O quot erunt, Duce Te, qui post labentibus annis
Fortiter insistant, quod modò carpis, iter.
O quot? opes titulosque suos, fascesque relinquent
Et venient nudo sub tua signa pede.
In duce vis tanta est. tenero moliris in æuo
Grandia: quis nolit te præeunte sequi?
Ire iuuat quocumq; iubes, quocūq; præibis,
Mene iubes sceptrum ponere? pono lubens,
Me cupis exilio patrios mutare penates?
Non renuo, tecum pauper, & exul ero.
Mene cupis duros tecum exantlare labores?
Dulcis erit, pro Te quem tolerabo, labor.
Hæc modò flāmatis properè cōcepta medullis
Successus habeant fac bona vota suos.
Tu tamen interea ne munera despice nostra,
Si placet hoc, aliud mox ego munus ero.

ELE-

ELEGIA V.

Secundi regis Gaspatis dona, Thus & lacryma.

SI caperis donis puer auree, thurea supplex
Dona fero, *Deus es*, thure litabo *Deo*.
Addimus & lacrymas, nihil est pretiosius illis,
Sæpe suas arbor sudat, at has oculi,
Munus vtrumq; tibi placeat, sacramus vtrũq;
Et graue-olens poscit talia dona locus.
Nos lacrymis sordes, tollemus odore mephitim,
Inde domus cunis hæc erit apta tuis.
Cinnama ferre quidem poteram, casiamque crocumque,
Plus facit ad laudem thuris acerra tuam.
Thura Panomphæo nimirum grata Tonanti
Nescio quid sacræ relligionis habent.
Et Puer, ô! de te quid non oracula produnt?
Teste *Balam*, nobis nobile sidus eris.
Scimus id experti; Stellâ duce, *Stella* reperta es,
Iam video, *Balaam* verus Apollo fuit.
Est quoque diuinis qui te de vatibus *Ignem*,
Dixit, huic *Igni* pinguia thura damus.
Scilicet *Ignis* edax mihi cor cum thure cremabis,
Hoc face consumi nobiliore nequit.
Sunt qui te *fontem* puer O bellissime, dicant,
Hinc redit in fontes lacryma nostra suos.
Te quoque *Pontificem* vatum præsagia clamant,
Et benè *Pontificem* mascula thura decent.
Cresce Puer, sacras mox thura videbis ad aras,
Auspicijs surgent plurima templa tuis.

Mox

Mox tua maieſtas fidei prouecta quadrigis,
Heſperias vltra, mygdoniaſque domos
Ibit ouans, populoſque ſacris ſplendoribus ictos
Ex acherontæis eripiet tenebris.
Ergo erit illa dies, cum tu pulcherrime Titan,
Gentibus approperans exoriere nouis.
Nos huius, tua turba *Deus*, primordia lucis
Vidimus, ad radios currere prompta tuos,
Venit ab extremis, Auſtri regina, Sabæis.
Hanc, *Salomon*, famæ perculit aura tuæ.
O *Salomone* mihi longè præſtantior ipſo,
Fama minor forma, puſio diue, tua eſt.
Sed quid ego hæc tecum? tua me, tua gloria, *Chriſte*
Obruit, & de te, qui modò fluxit, odor.
Ite procul, iam thura mihi ſordetis, odorem
De te manantem, floſcule dulcis, amo,
Votiui hinc vereor tibi pandere thuris aceruos,
Nam thura, & cunctas vincis odore roſas.
Pando tamen, ne ſperne: meum ſi munus amaris,
Faxo, tota tibi ſeruiat Arabia.

ELEGIA VI.

Tertij regis Balthaſaris dona, Myrrha, & lacryma.

THurilegos arabas, Panchæaq; rura reliqui,
Vt fruerer vultu, diue puelle, tuo.
En fruor exultans: nec me mea gaudia fallunt,
O merces longæ digna labore viæ!
En dulces lacrymas, dulcis præſentia formæ
Elicit, in tali fonte triumphat amor.

Fuſcus

Fuſcus ego venio, fuſcum ne temne colorem,
Nam color ad mores non facit ille meos.
Eſt mihi candida mens ; facies ſi fuſca videtur,
Crede, ſacer nimiâ me face aduſſit amor.
Ille amor, ille tuo non reſponſurus amori,
Qui te de ſuperâ traxit ad ima domo.
Vt Tu deſereres Patrium, Rex inclyte, Regnũ,
Vix cælum tanti, totaque terra fuit.
Vt te conſpicerem, volucri pede lætus adiſſem
Mille ſupra cælos, mille ſupra maria.
Fortunate puer, tibi cernuus offero Myrrham,
Excipe & hæc gremio dona Sabæa tuo.
Integer es. Myrrhæ non indigus ; attamen ipſe
Porto ſepulturæ præuia dona tuæ.
Gaude incorrupto, tibi congruit ille, liquore;
Nam liquor hic index integritatis erit.
Signat & hæc lacrymas, lacrymoſo è cortice Myrrha,
Sæpiùs ingrato quas ſuper orbe dabis.
Quam generoſe puer, ſeries operoſa laborum
Te manet! O animo lata palæſtra tuo!
A Solymis metuo; Solymæ tibi dira minantur,
Bellaque vix nato iam metuenda mouent.
Sed quos intueor luctus? quæ funera? quorum
It cruor? ô teneri, victima prima, greges!
Quo ruitis populi? quorſum arma, ſudeſque, faceſque?
Ah! carum peteris ſæua per arma caput.
Vltima res agitur : iam barbara vincula collum,
Iam manicæ immeritas implicuere manus.
Ingruit horrida nox & noctis amarior vmbris
Poſtera lux, lucem non habitura ſuam.

Quæ flagra, quos sentes video? quæ probra furentum
Audio? Crux humeris quam grauis illa tuis!
Hæc ego vaticinor, neque talia dictat Apollo,
Sed tu me vatem vi propiore facis.
Perge agedum toto mea numine pectora comple,
Diua Parens *Pallas*; tu mihi *Phœbus* eris.
Non clarias lauros, non delphica templa petemus,
Hæc mihi præ Delphis sacra cauerna placet.
Talibus ex adytis responsa fideliter edet,
Qui silet augustâ cum genitrice, Puer.
Si lubet, ô comites, Nabathæa reuisite regna,
Hac iuuat æternos figere rupe lares.
Hic ego, rex solymæ, tuum (precor, annue votis)
Mancipium fieri, tempus in omne, volo.
Si fidei testem, post iam data munera, poscis,
Affigam cunis *Cor* anathema tuis.

LACRYMÆ DVLCES ET PII AFFECTVS D. BERNARDI CLAREVALLENSIS ABBATIS Erga *Iesum Christum* in Bethleem natum.

ARGVMENTVM.

D. *Bernardus*, vir planè lacteus, atque mellifluus, suasimum *Iesu*

Iesu Christi natalem vnicè semper dilexit: vnde & eidem adhuc puerulo, mellitissimi infantis *Iesu* natiuitas, secundum quietem obiecta est: & prouectiori iam ætate suos amores, ergà puerum Bethlemiticũ, puerique cunas, dulcissimis scriptis ostendit. Hunc iam è clara valle, in Bethleem, ardentissimo properantem affectu sequamur.

ELEGIA VII.

Bethlemiæ rupes, adnataque rupibus antra,
Antra reclinato nobilitata *Deo*.
Vos ego semoto *Bernardus* ab orbe saluto,
Et cupidas tendo, quà licet, vsque manus.
Tendo gemens, gaudensque: parit mihi gaudia Bethlem,
Prouocat & gemitus dissita terra meos.
O vtinam vel hirundo forẽ, vel more columbæ
Traijcerem celeri nubila remigio.
Trãs iuga, trãs valles, trãs æquora vasta volarẽ,
Et fierem caris accola porticibus.
Fallor? an aërias tollor sublimis in auras?
Subleuat & nostros ala gemella pedes?
Auferor, ô superi! procul auferor: eia valete
Dum remigrem, valles, dulcia tecta, meæ.
Imus ad optatas pennis felicibus ædes,
Applicor & terris, gens Ephratæa, tuis.
Hospes adest: date signa *Deo*, date signa *Mariæ*,
Notus ab apricis vallibus, hospes adest.

Pande fores *Senior*, tuus hoc inclamat alumnus,
Tempora noctis eunt, limina pāde, precor.
Quo ferar in tenebris? brumali tempore? circũ
Trux aquilo gelidam frigore stringit humũ.
Ignis ibi meus est, quis amanti deneget ignem?
Vt fruar hoc, moto cardine pande fores.
Ne trepida, niueo pridem me rore *Maria*
Imbuit, & puero est cognitus ille puer.
Ille puer, Deus ille, sui decus omne mapalis,
Ergo age pande; moras impiger odit amor.
Audimur, crepuere fores, postesque benigni,
Diuitias aperit læta cauerna suas.
Iam video: pro! gaudia quę! quę gloria! quę lux!
Quæ noua mortali non memoranda sono!
Omen io felix! arrisit melleus infans
Nutibus & qui sim forsan, & vnde rogat.
Bernardus, puer alme tuis formosior astris,
Ipse ego sum, dici si sinis ista, *Tuus*.
Et Tuus huc venio clara de valle; sed illa
Quod claret, radijs debet id omne tuis,
Obscurâ venio solus de nocte: sed istic
Nox, vbi tu mea lux nasceris, esse nequit.
Hoc monstrauit iter felix Melibæus, & Ægon
Qui meruit cunis primus adesse tuis.
Et didici regum stellâ præeunte, latentem
Exiguâ solem quærere posse face.
Te reperi, satis est: superaui vota, triumpho,
Exclamare nouâ nunc ratione lubet.

Eiusdem de eodem affectus pij.

AFFECT. I.

O puer! ô cunæ! ô præsepia numine plena!
O pecora! ô fænum! stramineique tori!

O *Io-*

O *Ioseph*! ô virgo parens! ô inclyta Bethlem!
O stabulum! ô stabuli gloria summa, *Deus*!
Magne *Deus* (noua res, noua vox) *Deus incarnate*!
O! quid plura rogas? ô! stupeo & sileo.

II.

Vox redit, hanc vocem puer hic sine voce redonat.
O *infans verbum*, num tibi verba placent.
Ipse siles: verbis certè ista silentia præstant,
En loquor: & non vis me modò forte loqui.
Dulce loqui tecum, tecum quoque dulce silere,
Quid magis expediat, tu tamen ipse doces.
Nil opus est verbis: satis est *breue* cernere *verbum*;
Et lacrymis pariter, luminibusque loqui.
Sic mecum loquitur, qui nunc tacet, aureus infans,
O! quantum vel sic, *Christe*, tacendo tonas,

III.

Linea ni cupidam magnetica vergat ad arcton,
Mobilis in gyros itque reditque suos.
Ni splendore suo Titan discriminet horas,
Protrahit ingratos anxia vita dies.
Sic nisi Te spectans, à te quoque specter, *Iesu*,
Irrequies, motus, noxque perennis erit.
Christe, meus magnes, meus es sol: attrahis vris:
Te datur ex vno luxque quiesque mihi.

IV.

Auditis? clamant rigidæ, præsepia cunæ,
Asperitasque loci, pauperiesque casæ.
Auditis? clamant teneri sine viribus artus,
Et tenues panni, fasciolæque breues.
Auditis? clamant motæ vagitibus auræ,
Et Boreas circum peruia saxa, sonat.
Humiduli clamant formosi infantis ocelli,
Turgidulæque manus, algiduliquę pedes.
Denique vox puer est totus, vox tota supellex,
Parua licet; tamen est vox quoque magna, specus.
Omnia cum clament, si nil clamore moueris,
Durior hac petrâ es, littore surdior es.

V. Echo.

Audio: compellat me *Bethlemiticus* infans
Voce nouâ: quanam? nutibus & lacrymis.
O lacrymæ! ô fletus! *ECH-lætus*, mortalibus ægris
Gemmeus est, *ECH-meus est*, cælicus ille liquor,
ECH-I-cor, & in tali te flumine, *ECH-lumine*, merge
Balsama dimanant his loculis, *ECH-oculis*.
Quid me interpellas toties remeabilis Echo?
ECH-Eho! quid *Iesu* forte gemente gemis?
Præbe age responsum *ECH-Sponsum*, nil dulcius isto.
Nomine, sed Sponsum sic recubare graue est.
En iacet in stipula: quænam hæc primordia? *ECH-Dia*,
Cur ita vagit? *ECH-agit*, quid? scelus imbre lauat.

Quod

Quod scelus? an matris primææ, en paruulus,
Eua
Inquit, & illud *Va* me premit, & perimet.

VI.

Huc populi properate, humili acclinamino antro,
Et date Bethlemicis basia liminibus.
Hic sacer est puluis, penetralia sacra cauernæ,
Saxaque cretæis anteferenda iugis.
Non Lyciæ sortes, non hic Pataræus *Apollo*,
Hic trepodes nulli, nullaque laurus adest.
Certius ast omni tripode hic oracula dantur:
Turba faue; Nudus prædicat ista puer.
Aurum, delicias, regalia sceptra, tiaras
Spernite: calcari nunc *Deus* ista docet.

VII.

Numine quid maius? stabulo quid vilius? ipse
En *Deus* in vili iam stabulatur humo.
Ergo valete aulæ, regum quoque fulgor inanis,
Aula mihi stabulum est, & stabulum aula mihi.

VIII.

Hactenus in cælis libuit, dilecte, morari,
Nunc lubet in terris, plus modò terra placet.
Exemplis trahimur: placuit si terra Tonanti
Præ cælo, placeat cur minus illa mihi?

IX.

O felix præsepe! tibi *Bernardus*, amicè
Inuidet, & fieri tu quod es, ipse velit.

X.

Debuit esse aliquid, cur patria linqueret astra
Astrorum dominus, debuit esse aliquid.
Et fuit, haud dubito: quid? si rectè auguro, gemmam
Perdiderat vili hanc repperit in stabulo,

XI.

Et noctem, & stabulum, & præsepe, & mœnia Bethlem
Eligis, hunc orbem dum nouus hospes inis.
Et lucem, & montem, & truncum Crucis, & solymæ vrbem
Præponis, mortem, dum pius obses, obis.
O ratio dispar! nil tali obscurius ortu,
Morte nihil tali clarius esse potest.
Natalem vis morte tua illustrare? sed illud
Nequidquam, *Sol es*, sis vbicumque lubet.

XII.

Ingrati Bethlemicolæ! *Deus* arbiter orbis
Æthere deserto mœnia vestra subit.
Semirutam tamen hunc vos ablegatis in ædem,
Et mala queis recubet, vix hypogæa datis.
Indignum facinus! tamen excusabile: Bethlem
Infantem nunquam viderat ante *Deum*.
Caussa mali est vestis: *Serui Deus induit ora*,
Ecquis in hac Dominum veste latere putet?
Ergo *Deus* vestem vel tolle, vel indue regem,
Quotquot habet Bethlem, tunc dabit ipsa domos.

In:

XIII.

In stipulis ignem video, (mirabile visu!)
Nec tamen has stipulas proximus ignis edit.
Nempe idem in stipula est, Sinai qui vertice visus,
Arsit in illæso, *Mose* stupente, rubo.
Qui stipulæ parcis, nostris ne parce medullis,
Materies flammæ congruit illa tuæ.
Quod si fortè meo silices stant pectore, tunde:
Nam silices flammam si quatiantur, habent.

XIV.

Quotquot inextinctos astrorum cernitis ignes,
Dicite, nunc tibi sol, lunaque mersa latet?
In cælis pridem, vigilans vtrumque requiro,
Nec tamen in cælis ille, vel illa micat.
Nunc vbi sint, didici: mortales credite cælo
Exul, in angustam venit vterque casam.
Hic *sol* hic *luna* est: *sol Iesus*, *Luna Maria*.
Nunquam tam *Soli Luna* propinqua fuit.
Tolle meas, ô! tolle meas, vicine, tenebras,
Luce tuâ *Titan*, *Cynthia* luce tuâ.

ELEGIA VIII.

Miratur S. Bernardus, Dei filium, in sua olim maiestate terribilem, nunc in nostra humanitate amabilem.

O Generi concessa salus, & gaudia nostro,
O animi *Iesu* portio blanda mei!

Dum super æthereas, gremio Patris abditus, arces,
Delicias cælo dissimulante, fores,
Nemo tuas ausus temere contingere sedes,
Aut conopei limen adire tui.
Tot circũ tonitrus, radijque, ignesq; micabãt,
Ipsaque caligo causa timoris erat,
Relligioque loci, maiestatisque verendæ
Numen, & immenso gloria nixa throno.
Ille tui quondam pars fulgentissima regni
Lucifer, æternis æmulus imperijs,
Altius audaci voluit se tollere pennâ,
Et solij fasces sollicitare tui:
Inque nouos ausus socias excire phalangas,
Et coniuratâ bella mouere manu.
Non tulit hoc facinus tua dextera: protinus ictus
Ille superbifica cum legione ruit.
Et ruit æternum, nec enim reparabile damnum est,
Quam cuperet pennis nunc caruisse suis.
Scimus vt Isacræ celeberrima gloria gentis
Fœderis arca, suis inclyta prodigijs,
Nec propius tangi, nec se sit passa videri,
Et tamen illa Tui vix leuis vmbra fuit.
Hanc vbi Bethsamij procul aspexere, repentè
Non expectatâ procubuere nece.
Hanc vbi labentem tetigit miserabilis *Oza*,
Occidit, & tactu plectitur ille suo.
Christe potens rerũ, quantũ mutatus ab illo es
Vindice, qui cælum, qui tremefecit humum.
Ecce, quod auderet sperare, aut poscere nemo,
Attulit hæc sacris nox operata tuis.
Ecce iaces facilis tangi, facilisque videri,
Quàm benè te nobis assimilauit Amor!

Ingeniosus *amor*, nostræ tibi carnis amictum
Texuit, atque breuem composuit tunicam.
Materiam vestis (nullis res cognita seclis)
Virgo puellæ tibi, virgo puella dedit.
Hanc & *Amor* teneros bellè distinxit in artus,
Sat probat artificem splēdida forma suum.
Frons ebori, ceruix lacti, duo lumina stellis,
Æmula sunt vernis bina labella rosis.
Lingua merum mel, poma genæ, quid cetera sector?
Illecebras omnes hic sibi fixit *Amor*.
His trahor illecebris, ô mellitissime *Iesu*,
O puer, ô matri sarcina grata tuæ;
Te cupio, & vereor propius cōtingere, nāque
Nescio quis roseo terret in ore nitor.
Sed quid ego verear? nulla est formidinis ansa,
Sustulit è digitis arma timenda suis.
Stant procul hinc tonitrus, fulgurque, ignesque trisulci;
Blanditias comites, ne timeatur, habet.
Ergo agedum, dilecte, meis succede lacertis,
Hūc propera, auulsus matris ab vberibus.
Dictus ego à Nardo, non nomen inutile gesto,
Mox thyma, mox nardum, mox melimela feres:
Et casiam, & stacten, & olentis semen anethi,
Et gremio quidquid diuite Chloris habet.
Dona placent pueris; donis non flecteris? vlnæ
Plus tibi maternæ, quam mea dona, placēt?
Munera si renuis, fratris ne despice vota,
Sum tibi materno sanguine frater ego.
Ergo agedum, germane, meis succede lacertis,
Obsequij partes experiere meis.
Da mihi te facilem Genitrix formosa puelli,
E manibus pendent dona cupita tuis.

Adderet & cunas Sarrano Murice tectas,
Eque rosis thalămum sterneret & violis.
Et meritò, quoniam seruit tibi gemmiferum ver,
Dignus eras gemmis, nec minus ipse rosis.
Vana sed exopto: leuis hæc ludibria pompæ
Discimus exemplo despicienda tuo.
Cerneris hic nudus, cannâ malè tectus agresti
Straminibus tenerum composuisse latus
Aula casa est, præsepe thronus, rude purpura fœnum
Pannus opes, procerũ, bos asinusque, cohors.
Distat ab *Herodis* fastu tua regia: regni
Hæc species nullis cognita Cæsaribus.
Sic decuit venisse *Deum*, qui mollia natus
Spernere, difficilem pandat ad astra viam.
O quot erũnt, Duce Te, qui post labentibus annis
Fortiter insistant, quod modò carpis, iter.
O quot? opes titulosque suos, fascesque relinquent
Et venient nudo sub tua signa pede.
In duce vis tanta est. tenero moliris in æuo
Grandia: quis nolit te præeunte sequi?
Ire iuuat quocumq; iubes, quocũq; præibis,
Mene iubes sceptrum ponere? pono lubens,
Me cupis exilio patrios mutare penates?
Non renuo, tecum pauper, & exul ero.
Mene cupis duros tecum exantlare labores?
Dulcis erit, pro Te quem tolerabo, labor.
Hæc modò flămatis properè cõcepta medullis
Successus habeant, fac bona vota suos.
Tu tamen interea ne munera despice nostra,
Si placet hoc, aliud mox ego munus ero.

ELE-

ELEGIA V.

Secundi regis Gaspâris dona, Thus & lacryma.

SI caperis donis puer auree, thurea supplex
Dona fero, *Deus es*, thure litabo *Deo*.
Addimus & lacrymas, nihil est pretiosius illis,
Sæpe suas arbor sudat, at has oculi,
Munus vtrumq; tibi placeat, sacramus vtrũq;
Et graue-olens poscit talia dona locus.
Nos lacrymis sordes, tollemus odore mephitim,
Inde domus cunis hæc erit apta tuis.
Cinnama ferre quidem poteram, casiamque crocumque,
Plus facit ad laudem thuris acerra tuam.
Thura Panomphæo nimirum grata Tonanti
Nescio quid sacræ relligionis habent.
Et Puer, ô! de te quid non oracula produnt?
Teste *Balam*, nobis nobile sidus eris.
Scimus id experti; Stellâ duce, *Stella* reperta es,
Iam video, *Balaam* verus Apollo fuit.
Est quoque diuinis qui te de vatibus *Ignem*,
Dixit, huic *Igni* pinguia thura damus.
Scilicet *Ignis* edax mihi cor cum thure cremabis,
Hoc face consumi nobiliore nequit.
Sunt qui te *fontem* puer O bellissime, dicant,
Hinc redit in fontes lacryma nostra suos.
Te quoque *Pontificem* vatum præsagia clamant,
Et benè *Pontificem* mascula thura decent.
Cresce Puer, sacras mox thura videbis ad aras,
Auspicijs surgent plurima templa tuis.

Mox

Mox tua maieſtas fidei prouecta quadrigis,
Heſperias vltra, mygdoniaſque domos
Ibit ouans, populoſque ſacris ſplendoribus ictos
Ex acherontæis eripiet tenebris.
Ergo erit illa dies, cum tu pulcherrime Titan,
Gentibus approperans exoriere nouis.
Nos huius, tua turba *Deus*, primordia lucis
Vidimus, ad radios currere prompta tuos,
Venit ab extremis, Auſtri regina, Sabæis.
Hanc, *Salomon*, famæ perculit aura tuæ.
O *Salomone* mihi longè præſtantior ipſo,
Fama minor forma, puſio diue, tua eſt.
Sed quid ego hæc tecum? tua me, tua gloria, *Chriſte*
Obruit, & de te, qui modò fluxit, odor.
Ite procul, iam thura mihi ſordetis, odorem
De te manantem, floſcule dulcis, amo,
Votiui hinc vereor tibi pandere thuris aceruos,
Nam thura, & cunctas vincis odore roſas.
Pando tamen, ne ſperne: meum ſi munus amaris,
Faxo, tota tibi ſeruiat Arabia.

ELEGIA VI.

Tertij regis Balthaſaris dona, Myrrha, & lacryma.

THurilegos arabas, Panchæaq; rura reliqui,
Vt fruerer vultu, diue puelle, tuo.
En fruor exultans: nec me mea gaudia fallunt,
O merces longæ digna labore viæ!
En dulces lacrymas, dulcis præſentia formæ
Elicit, in tali fonte triumphat amor.

Fuſcus

Fuſcus ego venio, fuſcum ne temne colorem,
Nam color ad mores non facit ille meos.
Eſt mihi candida mens ; facies ſi fuſca videtur,
Crede, ſacer nimiâ me face aduſſit amor.
Ille amor, ille tuo non reſponſurus amori,
Qui te de ſuperâ traxit ad ima domo.
Vt Tu deſereres Patrium, Rex inclyte, Regnū,
Vix cælum tanti, totaque terra fuit.
Vt te conſpicerem, volucri pede lætus adiſſem
Mille ſupra cælos, mille ſupra maria.
Fortunate puer, tibi cernuus offero Myrrham,
Excipe & hæc gremio dona Sabæa tuo.
Integer es. Myrrhæ non indigus, attamen ipſe
Porto ſepulturæ præuia dona tuæ.
Gaude incorrupto, tibi congruit ille, liquore;
Nam liquor hic index integritatis erit.
Signat & hæc lacrymas, lacrymoſo è cortice Myrrha,
Sæpiùs ingrato quas ſuper orbe dabis.
Quam generoſe puer, ſeries operoſa laborum
Te manet! O animo lata palæſtra tuo!
A Solymis metuo; Solymæ tibi dira minantur,
Bellaque vix nato iam metuenda mouent.
Sed quos intueor luctus? quæ funera? quorum
It cruor? ô teneri, victima prima greges!
Quo ruitis populi? quorſum arma, ſudeſque, faceſque?
Ah! carum peteris ſæua per arma caput.
Vltima res agitur : iam barbara vincula collum,
Iam manicæ immeritas implicuere manus.
Ingruit horrida nox & noctis amarior vmbris
Poſtera lux, lucem non habitura ſuam.

Quæ flagra, quos sentes video? quæ probra furentum
Audio? Crux humeris quam grauis illa tuis!
Hæc ego vaticinor, neque talia dictat Apollo,
Sed tu me vatem vi propiore facis.
Perge agedum toto mea numine pectora comple,
Diua Parens *Pallas*, tu mihi *Phœbus* eris.
Non clarias lauros, non delphica templa petemus,
Hæc mihi præ Delphis sacra cauerna placet.
Talibus ex adytis responsa fideliter edet,
Qui silet augustâ cum genitrice, Puer.
Si lubet, ô comites, Nabathæa reuisite regna,
Hac iuuat æternos figere rupe lares.
Hic ego, rex solymæ, tuum (precor, annue votis)
Mancipium fieri, tempus in omne, volo.
Si fidei testem, post iam data munera, poscis,
Affigam cunis *Cor* anathema tuis.

LACRYMÆ DVLCES ET PII AFFECTVS D. BERNARDI CLAREVALLENSIS ABBATIS Erga *Iesum Christum* in Bethleem natum.

ARGVMENTVM.

D. *Bernardus*, vir planè lacteus, atque mellifluus, suaſsimum

Iesu Christi natalem vnicè semper dilexit: vnde & eidem adhuc puerulo, mellitissimi infantis *Iesu* natiuitas, secundum quietem obiecta est: & prouectiori iam ætate suos amores, ergà puerum Bethlemiticū, puerique cunas, dulcissimis scriptis ostendit. Hunc iam è clara valle, in Bethleem, ardentissimo properantem affectu sequamur.

ELEGIA VII.

Bethlemiæ rupes, adnataque rupibus antra,
Antra reclinato nobilitata *Deo*.
Vos ego semoto *Bernardus* ab orbe saluto,
Et cupidas tendo, quà licet, vsque manus.
Tendo gemens, gaudensque: parit mihi gaudia Bethlem,
Prouocat & gemitus dissita terra meos.
O vtinam vel hirundo forē, vel more columbæ
Traijcerem celeri nubila remigio.
Trās iuga, trās valles, trās æquora vasta volarē,
Et fierem caris accola porticibus.
Fallor? an aërias tollor sublimis in auras?
Subleuat & nostros ala gemella pedes?
Auferor, ô superi! procul auferor: eia valete
Dum remigrem, valles, dulcia tecta, meæ.
Imus ad optatas pennis felicibus ædes,
Applicor & terris, gens Ephratæa, tuis.
Hospes adest: date signa *Deo*, date signa *Mariæ*,
Notus ab apricis vallibus, hospes adest.

O *Ioseph!* ô virgo parens! ô inclyta Bethlem!
O ſtabulum! ô ſtabuli gloria ſumma, *Deus!*
Magne *Deus* (noua res, noua vox) *Deus incarnate!*
O! quid plura rogas? ô! ſtupeo & ſileo.

II.

Vox redit, hanc vocem puer hic ſine voce redonat.
O *infans verbum*, num tibi verba placent.
Ipſe ſiles: verbis certè iſta ſilentia præſtant,
En loquor: & non vis me modò forte loqui.
Dulce loqui tecum, tecum quoque dulce ſilere,
Quid magis expediat, tu tamen ipſe doces.
Nil opus eſt verbis: ſatis eſt *breue* cernere *verbum*;
Et lacrymis pariter, luminibuſque loqui.
Sic mecum loquitur, qui nunc tacet, aureus infans,
O! quantum vel ſic, *Christe*, tacendo tonas,

III.

Linea ni cupidam magnetica vergat ad arcton,
Mobilis in gyros itque reditque ſuos.
Ni ſplendore ſuo Titan diſcriminet horas,
Protrahit ingratos anxia vita dies.
Sic niſi Te ſpectans, à te quoque ſpecter, *Ieſu*,
Irrequies, motus, noxque perennis erit.
Chriſte, meus magnes, meus es ſol: attrahis vris:
Te datur ex vno luxque quieſque mihi.

IV.

Auditis? clamant rigidæ, præsepia cunæ,
Asperitasque loci, pauperiesque casæ.
Auditis? clamant teneri sine viribus artus,
Et tenues panni, fasciolæque breues.
Auditis? clamant motæ vagitibus auræ,
Et Boreas circum peruia saxa, sonat.
Humiduli clamant formosi infantis ocelli,
Turgidulæque manus, algiduliique pedes.
Denique vox puer est totus, vox tota supellex,
Parua licet, tamen est vox quoque magna, specus.
Omnia cum clament, si nil clamore moueris,
Durior hac petrâ es, littore surdior es.

V. *Echo.*

Audio: compellat me *Bethlemiticus* infans
Voce nouâ: quanam? nutibus & lacrymis.
O lacrymæ! ô fletus! *ECH-lætus,* mortalibus ægris
Gemmeus est, *ECH meus est*, cælicus ille liquor,
ECH-I-cor, & in tali te flumine, *ECH-lumine*, merge
Balsama dimanant his loculis, *ECH-oculis.*
Quid me interpellas toties remeabilis Echo?
ECH-Eho! quid *Iesu* forte gemente gemis?
Præbe age responsum *ECH Sponsum*, nil dulcius isto
Nomine, sed Sponsum sic recubare graue est.
En iacet in stipula: quænam hæc primordia? *ECH Dia,*
Cur ita vagit? *ECH-agit*, quid? scelus imbre lauat.

Quod scelus? an matris primææ, en paruulus, *Eua*
Inquit, & illud *Va* me premit, & perimet.

VI.

Huc populi properate, humili acclinamin antro,
Et date Bethlemicis basia liminibus,
Hic sacer est puluis, penetralia sacra cauernæ,
Saxaque cretæis anteferenda iugis.
Non Lyciæ sortes, non hic Pataræus *Apollo*,
Hic trepodes nulli, nullaque laurus adest.
Certius ast omni tripode hic oracula dantur:
Turba faue; Nudus prædicat ista puer.
Aurum, delicias, regalia sceptra, tiaras
Spernite: calcari nunc *Deus* ista docet.

VII.

Numine quid maius? stabulo quid vilius? ipse
En *Deus* in vili iam stabulatur humo.
Ergo valete aulæ, regum quoque fulgor inanis,
Aula mihi stabulum est, & stabulum aula mihi.

VIII.

Hactenus in cælis libuit, dilecte, morari,
Nunc lubet in terris, plus modò terra placet.
Exemplis trahimur: placuit si terra Tonanti
Præ cælo, placeat cur minus illa mihi?

IX.

O felix præsepe! tibi *Bernardus*, amicè
Inuidet, & fieri tu quod es, ipse velit.

X.

Debuit esse aliquid, cur patria linqueret astra
Astrorum dominus, debuit esse aliquid.
Et fuit, haud dubito: quid? si recte auguro, gemmam
Perdiderat vili hanc repperit in stabulo,

XI.

Et noctem, & stabulum, & præsepe, & mœnia Bethlem.
Eligis, hunc orbem dum nouus hospes inis.
Et lucem, & montem, & truncum Crucis, & solymæ vrbem
Præponis, mortem, dum pius obses, obis.
O ratio dispar! nil tali obscurius ortu,
Morte nihil tali clarius esse potest.
Natalem vis morte tua illustrare? sed illud
Nequidquam, *Sol es*, sis vbicumque lubet.

XII.

Ingrati Bethlemicolæ! *Deus* arbiter orbis
Æthere deserto mœnia vestra subit.
Semirutam tamen hunc vos ablegatis in ædem,
Et mala queis recubet, vix hypogæa datis.
Indignum facinus! tamen excusabile: Bethlem
Infantem nunquam viderat ante *Deum*.
Causa mali est vestis: *Serui Deus induit ora*,
Ecquis in hac Dominum veste latere putet?
Ergo *Deus* vestem vel tolle, vel indue regem,
Quotquot habet Bethlem, tunc dabit ipsa domos.

XIII.

In stipulis ignem video, (mirabile visu!)
Nec tamen has stipulas proximus ignis edit.
Nempe idem in stipula est, Sinai qui vertice visus,
Arsit in illæso, *Mose* stupente, rubo.
Qui stipulæ parcis, nostris ne parce medullis,
Materies flammæ congruit illa tuæ.
Quod si fortè meo silices stant pectore, tunde:
Nam silices flammam si quatiantur, habent.

XIV.

Quotquot inextinctos astrorum cernitis ignes,
Dicite, nunc tibi sol, lunaque mersa latet?
In cælis pridem, vigilans vtrumque requiro,
Nec tamen in cælis ille, vel illa micat.
Nunc vbi sint, didici: mortales credite cælo
Exul, in angustam venit vterque casam.
Hic *sol* hic *luna* est: *sol Iesus, Luna Maria*.
Nunquam tam *Soli Luna* propinqua fuit.
Tolle meas, ô! tolle meas, vicine, tenebras
Luce tuâ *Titan, Cynthia* luce tuâ.

ELEGIA VIII.

Miratur S. Bernardus, Dei filium, in sua olim maiestate terribilem, nunc in nostra humanitate amabilem.

O Generi concessa salus, & gaudia nostro,
O animi *Iesu* portio blanda mei!

Dum super æthereas, gremio Patris abditus, arces,
Delicias cælo dissimulante, fores,
Nemo tuas ausus temere contingere sedes,
Aut conopei limen adire tui.
Tot circū tonitrus, radijque, ignesq; micabāt,
Ipsaque caligo causa timoris erat,
Relligioque loci, maiestatisque verendæ
Numen, & immenso gloria nixa throno.
Ille tui quondam pars fulgentissima regni
Lucifer, æternis æmulus imperijs,
Altius audaci voluit se tollere pennâ,
Et solij fasces sollicitare tui:
Inque nouos ausus socias excire phalangas,
Et coniuratâ bella mouere manu:
Non tulit hoc facinus tua dextera: protinus ictus
Ille superbifica cum legione ruit.
Et ruit æternum, nec enim reparabile damnum est,
Quam cuperet pennis nunc caruisse suis.
Scimus vt Isacræ celeberrima gloria gentis
Fœderis ârea, suis inclyta prodigijs,
Nec propius tangi, nec se sit passa videri,
Et tamen illa Tui vix leuis vmbra fuit.
Hanc vbi Bethsamij procul aspexere, repentè
Non expectatâ procubuere nece.
Hanc vbi labentem tetigit miserabilis *Oza*,
Occidit, & tactu plectitur ille suo.
Christe potens rerū, quantū mutatus ab illo es
Vindice, qui cælum, qui tremefecit humum.
Ecce, quod auderet sperare, aut poscere nemo,
Attulit hæc sacris nox operata tuis.
Ecce iaces facilis tangi, facilisque videri,
Quàm bene te nobis assimilauit Amor!

Inge-

Ingeniosus *amor*, nostræ tibi carnis amictum
Texuit, atque breuem composuit tunicam.
Materiam vestis (nullis res cognita seclis)
Virgo puellæ tibi, virgo puella dedit.
Hanc & *Amor* teneros bellè distinxit in artus,
Sat probat artificem splēdida forma suum.
Frons ebori, ceruix lacti, duo lumina stellis,
Æmula sunt vernis bina labella rosis.
Lingua merum mel, poma genæ, quid cetera sector?
Illecebras omnes hic sibi fixit *Amor*.
His trahor illecebris, ô mellitissime *Iesu*,
O puer, ô matri sarcina grata tuæ;
Te cupio, & vereor propius cōtingere, nāque
Nescio quis roseo terret in ore nitor.
Sed quid ego verear? nulla est formidinis ansa,
Sustulit è digitis arma timenda suis.
Stant procul hinc tonitrus, fulgurque, ignesque trisulci,
Blanditias comites, ne timeatur, habet.
Ergo agedum, dilecte, meis succede lacertis,
Hūc propera, auulsus matris ab vberibus.
Dictus ego à Nardo, non nomen inutile gesto,
Mox thyma, mox nardum, mox melimela feres:
Et casiam, & stacten, & olentis semen anethi,
Et gremio quidquid diuite Chloris habet.
Dona placent pueris; donis non flecteris? vlnæ
Plus tibi maternæ, quam mea dona, placēt?
Munera si renuis, fratris ne despice vota,
Sum tibi materno sanguine frater ego.
Ergo agedum, germane, meis succede lacertis,
Obsequij partes experiere meis.
Da mihi te facilem Genitrix formosa puelli,
E manibus pendent dona cupita tuis.

Et potes, & solita es non indulgere grauatè,
Et scio, quam me non dissimulanter, ames.
Victor io! *Bona Diua*, tuos complector amores,
Et fruor optatis, te tribuente, meis.
Te quoties fratrem, puer exoptate, vocaui!
Sed nimium frater tunc alienus eras.
Frater ades, tandem nostras delapsus in vlnas.
Molliter, ô quantis affluo delicijs!
Nunc vultus dilecte, tuos iuuat vsque tueri,
Et dare lacteolis basia mille genis.
O mea lux! mea dulcedo, mea vita, meum mel,
O *Amor!* ô quantum nectaris vnus habes!
Quid sit complecti, quid sit te, frater, amare,
Iam licet experiar, dicere lingua nequit.
Ardet amore tui, qui te videt eminus: at Te
Qui propius fruitur, languet amore tui.
O vtinam languere diu sic detur amanti,
Inter complexus, frater amate, tuos.
Sed reuocant valles, pronoque ad basia vultu
Delicias repetit mater anhela suos.
Quidquid erit, stabo hic: quod si discedere cogar,
Cum *Domini cunis* abripiendus ero.

LACRYMÆ DVLCES SIMEONIS IESVM COMPLEXI.

PRo argumento vide Euangeliũ in ipso, *Purificatæ Virginis* festo die legi solitum desumptum ex *Lucæ* c. 2. vbi de eo sic ait: *Venit in spiritu in tem-*

templum. Et cum inducerent Puerum IESVM parentes eius, &c. & ipse accepit eũ in vlnas suas & benedixit Deum, & dixit. Nunc dimittis seruum tuum Domine &c.

ELEGIA IX.

VEnisti tandem votorum summa meorum
In mea captiuus brachia, *dulcis Amor.*
Venisti mea lux, gelidi senis vltimus ardor,
Sentio: nam flamma proximiore cremor.
O promisse mihi dudum, modò denique misse,
Vt iuuat in vultu nunc habitare tuo.
Vnum te sitiens, menses meditabar & annos,
Et mihi pro seclis mensis, & annus erat.
Ad templum quoties oculo vigilante ferebar,
Fors mea, dicebam, gaudia templa dabunt,
Huc me sæpè tulit spes credula, sæpè fefellit,
Qui sperata daret pignora, nullus erat.
Hinc dolor, hinc crebris suspiria mixta querelis,
Hinc mihi Luna grauis, Sol quoq; mœstus erat.
Absoluit nostros lux optatissima luctus:
Compensantque suas gaudia sera moras.
Venit io! venit pulcherrima Reginarum,
Venit io! summi baiula Virgo boni.
Hoc modò possideo, sum rege beatior omni,
Vlterius votis non licet ire meis.
Expectasse iuuat, senij neque pœnitet: hoc est,
Viuere bis, vitam posse tenere suam.
Te Teneo. *Mea vita*, mei *Spes* vnica fati,
Et simul occultâ me ratione tenes.
Haud aliter ferrum magnetica gemma prehensat,
Et paleam electri vis operosa rapit.

Parce puer, *Deus* humanis circumdate membris,
Si cupidâ tracto membra tenella manu.
Vror Amore tui,tali liquefactus ab igne,
Hinc rigor è tremulo corde senilis abit,
Sit licet aspersum caput hoc albente pruinâ,
Horaque fatalis iam propè dicat, *Obi*:
Sit licet incuruum senij præ pondere corpus,
Et repetat cinerem pulueris vrna suum.
Te tamen amplexus, positâ ceu mole senectæ
Erigor, & Phœnix, si dabis, alter ero.
Iam moriar, tu flamma mea es, tu nobile bustum,
In cinerem tali vertar ab igne lubens.
Non timeo mea fata, dabis moriendo renasci,
Victuro cineri flamma fidelis erit.
Hinc ego, quam reliqui metuunt, nunc ambio mortem,
Sed timet aspectus, *O mea vita*, tuos.
Quid faciam? vocat inde meis Mors debita canis;
Hinc rapit amplexu vita cupita suo.
Ah! quã dissimili certamine luctor vtrimque,
Dum trahit in partes vitaque morsque suas.
Si cupio vitam, poscunt oracula mortem,
Si cupio mortem, Viuere Vita iubet.
Illa, vel illa potens, cupit vtraque vincere: vinci
Sum cupidus, dubito cuius at esse velim.
Lis grauis, & dubia est: lis indecisa manebit
Ni subeam Vultus, iudiciumque tuum,
Arbiter esto: placet quod iusseris, istud obibo,
Siue iubes tecum viuere, siue mori.

ELEGIA X.

De Christo futura prædicit.

QVid me respectas genitrix ? quid brachia pandis?
Quid geris in manibus lumina fixa meis?
Quo tendas, video : pignus cæleste reposcis,
Et benè nata sibi mella requirit apis.
Attamen indulge morulam : tua, *Virgo*, voluptas
Illa perennis erit, quod precor ipse, breue est :
Iam sine mellifluo satiem mea lumina vultu,
Depositi custos, non ego raptor, ero.
Vidimus hunc, nec adhuc satis est, iuuat vsque videre,
Experior dulces hoc in amore moras.
Annuis ? ergo iterumque iterumque fruamur *Iesu*,
Figamus teneris basia multa genis.
Hæc ego dum repetam, vis me tua dicere fata?
Nam quoque me vatem, pusio magne, facis.
Dicam igitur. *Puer ille* venit (mirabere *Virgo*)
In mala fata malis, in bona fata bonis.
Hos premet, hos tollet, hinc casus, inde triumphi,
O felix tali turba leuanda manu!
Hoc signum, hic scopus est toti spectabilis orbi,
Quem feriet telis gens inimica suis.

Plurima

Plurima læta (tamen nimium ne fidite lætis)
Hic pariter vobis plurima mœsta feret.
Fatalis quondam tua per præcordia mucro
Ibit.io.prohibet cetera verba dolor.
Ad Te nunc redeo, puer optime, maxime regum,
Deliciæ iuuenum, deliciæque senum.
Iam vitæ mortisque grauem compone querelam,
Et vitâ inuitâ, da modo posse mori.
Iam satis humanas, mea lux, habitauimus oras,
Hac precor emeritum de statione voca.
Eia voca, placidamque seni largire quietem,
Postulat hoc ætas, hoc mihi dicta volunt.
Ecquid enim melius? cur demorer? omnia sordent,
Postquam lux oculis est tua visa meis:
Aurea lux, diuina salus, mortalibus orta,
Vndique per populos conspicienda *salus*.
Mirus amor cæli: donum imortale profundit,
Et beat humanum, post mala longa, genus.
Quanta per attonitas oritur lux vndique gētes,
Isacidûm plebi gloria quanta venit!
Felices populi, quibus hæc *aurora* refulsit,
Ter felix *Bethlem*! terque beta *Salem*!
Fortunata parens prole hac, felicibus & Tu
Sorte tua, *Simeon*, annumerandus eris.
Agnosco, gratesque oculo lacrymante repēdo,
Omnia promissis vberiora tuli.
Cede dolor: ceu dulcis olor mea funera cantu
Excipiam. Miser est, qui sua fata gemit.
Iam meritò repetis, diuina puerpera natum,
Reddimus ô quantum est sic potuisse frui!

Reddimus ah! flentes: diuellimur, optime *Iesu*,
Et pariter tecum *Cor* abit omne mihi.
Ergo vale, dilecte puer, genitrixque puelli,
Æternùm vt valeam, dic quoque, *Christe*, Vale.
Cernitis? arrisit formoso leniter ore,
Nutibus & tacitis, *ire*, *Valere* iubet.
Ibimus, at sine Te malè ne labamur in vmbras,
Hoc puer esto seni quod tibi mater erit.

LACRYMÆ DVLCES S. IGNATII.

ARGVMENTVM.

S. *Ignatius de Loiola, Soc.* IESV *fundator* singulari sacrymarum, & orationis dono præditus, atque hæc vsurpare solitus. *Quam sordet terra, dum cælum aspicio*, nocte serenâ, hinc cœlorum pulchritudine, inde rerum humanarum vicissitudine consideratâ, vehementer ad patriam cælestem aspirat.

ELEGIA XI.

Oculis cælos perlustrat.

Roma vale, *Loiola* tuus, proficiscor ad arces,
Quas colit inuerso nomine, dius *Amor*.
Indigetes magni, lectum genus, addita cælo
Sidera, formoso lucidiora die, Vester:

Vester ego venio rursum spectator ab vrbe;
O vtinam vultu vos propiore legam.
Vester ego? fallor, necdum mea patria necdum
(Hinc calida ora rigat lacryma) vester ego.
Heu! extorris, inops, & adhuc miserabilis exul,
Quâ licet ad superos scandere nitor ope.
Nitor: at audaces pigrâ sarcina præpedit alas,
Hinc ego cum segni corpore bella gero.
Hic tamen est nostri quædam medicina doloris,
Et leuat exilij tormina lenta mei.
Sunt mihi veloces gemini sub fronte ministri,
Hos quocumq; lubet mittere, mitto foras.
Illi trans Zephyros subitò, per inania rerum
Ocyus intorti fulminis igne, volant.
Momento rutili percurrunt mœnia mundi;
Quidquid & occasus, quidquid & ortus habet,
Ad libitum reuolant, & signa domestica seruant,
Et domino referunt plurima visa suo.
Hos ego, dilectum crebro super æthera misi,
Curreret illimis cum sine nube dies.
O quas delicias! ô quot mellita tulerunt
Gaudia, mortali vix capienda sinu.
Hos lubet & tacitâ legatos mittere nocte,
Apta ministerijs nox erit ista meis.
Alta quies rerum, placidique silentia mundi,
Et nitor æthereus, blandaque regna iuuant.
Ergo oculi rursum per amica palatia diuûm
Currite, sublimes sollicitate plagas.
Vos ibi defixis obtutibus opto morari,
Quo mora maior erit, hoc magè dulcis erit.

Lumen

Lumen vtrumque volat, sed rumpere nescit olympum,
Ætheris ad nitidas hæret vtrumque fores.
Hæreat vsque licet, videat geminosq; triones,
Fulgentesque Hyadum, Pleiadumq; choros.
Interea feriam tot suspiratibus astra,
Vt valeant flecti questibus illa meis.
O Domus! ô patria! ô diuûm sacraria! noster
O Amor! ô vno regia digna *Deo*!
O Decor! ô facies blande ridentis olympi:
Vt mihi luce prius, sic modò nocte places.
Quid facies præsens, quæ me sic eminus vris?
Quid possessa, procul sic vbi visa rapis?
O nox! aurea nox! quam circum mille pusilli
Exhilarant soles, flammeolæque faces.
Ebria nox tot delicijs, quot picta pyropis,
Dic mihi, quando nouæ nuncia lucis eris?
Illius ô lucis, quam nullus vesper opacat,
Præ qua nox mera sit, quidquid vbiq; nitet.

ELEGIA XII.

Mente supra cælos assurgit.

Altius audendum est: procul euanescite terræ,
Curaque dædaleum sæpè morata pedem.
Nil oculis agimus, specie pascuntur inani,
Sidera sunt alijs nunc adeunda rotis.
Andabatæ ritu, clausis luctabor ocellis,
Lumina quo nequeunt tendere, mente ferar.
I bona Mens supera nebulas, ventosaque regna,
Cæruleasque vias, stelliferasque domos.

I celer ad summi tectum sublime Tonantis,
Et faciles tenui murmure tunde fores.
Audior: ales adest turba de cælite missus,
Et quis ego, quonam vectus ab orbe, rogat.
O superi: nostis: nec enim nouus aduena vobis
Aduehor, has crebro triuimus ante vias.
Si tamen vsque iuuat mortalia nomina nosse,
Expediam: posthæc tu modò pande fores.
Ipse ego sum Loiola, datum cui nomen ab *Igne*
Debuit ignis humum linquere, linquit humum.
Martis amans quondam: sed Mars male læsit amantem.
Hinc didici rectum quærere claudus iter.
Et teneo, calcemque premo præeuntis *Iesu*,
Ille mihi nomen iam dedit, ille meis,
Dicite cælicolæ, *Christi* comes infimus adstat,
Propitius Romæ, qui mihi dixit, *ero*.
Dicite; & extemplo limen reserabit amicum,
Ibit & in nostros obuius ille sinus.
Non cassæ cecidere preces: patet ardua cæli
Regia, flammanti conspicienda tholo.
Quæ regio? quæ forma loci? quo transferor? io?
Me rapit intuitu pompa beata suo.
Hic demum inuenio spectacula numine digna,
Hic satis est: habeat res sibi terra suas.
Quocumque aspicias, aurum vndique, & vndique gemmæ,
Omnia lux, plausus, palma, trophæa, rosæ.
Hæc domus, hæc vrbs est, hæc cœna, corona, brauium,
Hæc tempe, hic colles, elysiumque nemus,

Hæc patria, hæc vita est: quid cetera nomina narrem?
Exsuperant vires nomina tanta meas.
Hic augusta *Trias*, *Triadisque* illustre theatrum
Explicat immensas, queis satieris, opes.
Ipse sibi regnum, sibi regia, tota supellex
Est *Deus*: ex illo gaudia fonte fluunt.
Gaudia sincera, exundantia, candida, fellis
Nescia, per nullos interitura dies.
Gaudia, quæ penitus mentemque animumq; pererrent,
Sentio: lætitiæ stilla vel vna beat.
Hoc ego cælicolas omnes de fonte notaui
Ducere inexhaustas pectore delicias.
Felices animæ! quibus hæc indulta voluptas,
Inuideo vestris, aurea turba, bonis.
Ipse quidem vester nunc sum (*Deus* annuit) hospes,
Sed breuis hospitij gratia talis erit.
Rursus ad humanas opus est descendere curas,
Et fastiditam cernere rursus humum.
Dum tamen vsque datur carâ regione potiri,
Hac fruar: hoc reduci grande leuamen erit.
At quosnam intueor stellatâ in veste sodales?
Hosius hic, nuper raptus ab orbe mihi.
Hosius? ô carum nomen mihi! fallor? an istic
Est *Faber*? Allobrogum gloria, noster honor.
Gratulor ambobus, notisque ex ordine diuis,
Non capit amplexus tanta caterua meos.
Quis procul ille autem palmis *orientis* onustus
Ducit ab eois agmina clara plagis?
Agnosco veteres vultus, animosque viriles;
Est meus heroo pectore *Xauerius*.

O Pater!ô ingens Nabathææ gloria gentis,
Cui Tagus,& Ganges gemmea dona ferunt,
Aſpice me,& populis,& habenti nubila terræ
Eripe,fac tecum totus in aſtra vehar.
Sic tibi ſit *Ieſus* dux,& Regina *Maria*,
Sic faueat laudi China,Iaponque tuæ,
Hæc ego:cum ſubitus feſtiua per atria clamor
Romuleos iuſſit me remigrare lares.
Ergo iterum inuitus terræque mihique redonor,
Sed tamen ad ſuperos mens oculuſque redit.

S. IGNATIVS VARIA VIDET IN COELO,
atque aëre ſpectacula, humanæ inconſtantiæ Symbola.

Spectaculum Primum.
Ignis fatuus.

LVdor?an è vacuo delabitur æthere ſidus?
Labitur,& multo lumine ſignat iter.
Vt pariter micuit,pariterque euanuit!illa
Crede mihi,quiddam ſtella caduca notat.
Hæc periturarum ſimulacra fugacia rerum,
Hæc ſpecies pompæ,mobilis aula, tuæ.
Eſt breue fulgur honos,dum grandia parturit,vrit,
Dum ludit ladit;quando oritur,moritur.

Spectaculum II.
Plenilunium.

QVis nouus hic ſpendor? formoſo promicat ore
Cynthia,fraternis æmula facta rotis.

Vt nitet! vt pleno noctem colluminat orbe,
Ducit & in teretes, aurea signa, choros.
Ecce præit, populosque suos rutilosque quirites
Artificis laudes dicere nocte iubet.
Audio: nescio quid gyrati machina cœli
Concinit, ad numeros docta salire suos.
Mens iterum è vinclis, curisque minoribus exit;
Et superos ignes, castraque nota sequor.
Astrorum, Lunæque parens, molisque rotundæ
Conditor, ipse operi gratulor vsque tuo.
Te tamen ô opifex opere hoc formosior omni
Plus amo, plus totis diligo sideribus.
Tu mea lux, mea Luna, meus Sol, vnicus, vnus
Omnia, *Te solum quisquis habet, sat habet.*
Dulce quidem est cæli radiantem cernere vultum,
Dulcius at faciem posse videre tuam.
O! si tanta foris stellati est gloria tecti,
Nobilius quanto, quod latet intus, erit?
Quam mihi sordet humus, dum patria sidera lustro,
Dissimilis cœlo, *quam mihi sordet humus!*
Mille hic tædia sunt, dolor est tot tædia ferre,
Sed dolor à regno maior abesse meo.

Spectaculum III.

Eclipsis Lunæ.

ECce sed astriferos dum fixiùs intuor orbes,
Non leuis inuasit sidera cuncta pauor.

Nam-

Dum super æthereas, gremio Patris abditus, arces,
Delicias cælo dissimulante, fores,
Nemo tuas ausus temere contingere sedes,
Aut conopei limen adire tui.
Tot circũ tonitrus, radijque, ignesq; micabãt,
Ipsaque caligo causa timoris erat,
Relligioque loci, maiestatisque verendæ
Numen, & immenso gloria nixa throno.
Ille tui quondam pars fulgentissima regni
Lucifer, æternis æmulus imperijs,
Altius audaci voluit se tollere pennâ,
Et solij fasces sollicitare tui;
Inque nouos ausus socias excire phalangas,
Et coniuratâ bella mouere manu:
Non tulit hoc facinus tua dextera: protinus ictus
Ille superbifica cum legione ruit.
Et ruit æternum, nec enim reparabile damnum est,
Quam cuperet pennis nunc caruisse suis.
Scimus vt Isacræ celeberrima gloria gentis
Fœderis arca, suis inclyta prodigijs,
Nec propius tangi, nec se sit passa videri,
Et tamen illa Tui vix leuis vmbra fuit.
Hanc vbi Bethsamij procul aspexere, repentè
Non expectatâ procubuere nece.
Hanc vbi labentem tetigit miserabilis *Oza*,
Occidit, & tactu plectitur ille suo.
Christe potens rerũ, quantũ mutatus ab illo es
Vindice, qui cælum, qui tremefecit humum.
Ecce, quod auderet sperare, aut poscere nemo,
Attulit hæc sacris nox operata tuis.
Ecce iaces facilis tangi, facilisque videri,
Quàm benè te nobis assimilauit Amor!
Inge-

Ingeniosus *amor*, nostræ tibi carnis amictum
Texuit, atque breuem composuit tunicam.
Materiam vestis (nullis res cognita seclis)
Virgo puellæ tibi, virgo puella dedit.
Hanc & *Amor* teneros bellè distinxit in artus,
Sat probat artificem splẽdida forma suum.
Frons ebori, ceruix lacti, duo lumina stellis,
Æmula sunt vernis bina labella rosis.
Lingua merum mel, poma genæ, quid cetera sector?
Illecebras omnes hic sibi fixit *Amor*.
His trahor illecebris, ô mellitissime *Iesu*,
O puer, ô matri sarcina grata tuæ;
Te cupio, & vereor propius cõtingere, nãque
Nescio quis roseo terret in ore nitor.
Sed quid ego verear? nulla est formidinis ansa,
Sustulit e digitis arma timenda suis.
Stant procul hinc tonitrus, fulgurque, ignesque trisulci,
Blanditias comites, ne timeatur, habet.
Ergo agedum, dilecte, meis succede lacertis,
Hũc propera, auulsus matris ab vberibus.
Dictus ego à Nardo, non nomen inutile gesto,
Mox thyma, mox nardum, mox melimela feres:
Et casiam, & stacten, & olentis semen anethi,
Et gremio quidquid diuite Chloris habet.
Dona placent pueris; donis non flecteris? vlnæ
Plus tibi maternæ, quam mea dona, placẽt?
Munera si renuis, fratris ne despice vota,
Sum tibi materno sanguine frater ego.
Ergo agedum, germane, meis succede lacertis,
Obsequij partes experiere meis.
Da mihi te facilem Genitrix formosa puelli,
E manibus pendent dona cupita tuis.

Et potes, & solita es non indulgere grauatè;
Et scio, quam me non dissimulanter, ames.
Victor io! *Bona Diua*, tuos complector amores,
Et fruor optatis, te tribuente, meis.
Te quoties fratrem, puer exoptate, vocaui!
Sed nimium frater, tunc alienus eras.
Frater ades, tandem nostras delapsus in vlnas,
Molliter, ô quantis affluo delicijs!
Nunc vultus dilecte, tuos iuuat vsque tueri,
Et dare lacteolis basia mille genis.
O mea lux! mea dulcedo, mea vita, meum mel,
O *Amor!* ô quantum nectaris vnus habes!
Quid sit complecti, quid sit te, frater, amare,
Iam licet experiar, dicere lingua nequit.
Ardet amore tui, qui te videt eminus: at Te
Qui propius fruitur, languet amore tui.
O vtinam languere diu sic detur amanti,
Inter complexus, frater amate, tuos.
Sed reuocant valles, pronoque ad basia vultu
Delicias repetit mater anhela suos.
Quidquid erit, stabo hic: quod si discedere cogar,
Cum *Domini cunis* abripiendus ero.

LACRYMÆ DVLCES SIMEONIS IESVM COMPLEXI.

PRo argumento vide Euangeliũ in ipso, *Purificatæ Virginis* festo die legi solitum desumptum ex *Lucæ* c. 2. vbi de eo sic ait: *Venit in spiritu in tem-*

templum. Et *cum inducerent Puerum IESVM parentes eius, &c. & ipse accepit eũ in vlnas suas & benedixit Deum, & dixit. Nunc dimittis seruum tuum Domine &c.*

ELEGIA IX.

VEnisti tandem votorum summa meorum
In mea captiuus brachia, *dulcis Amor.*
Venisti mea lux, gelidi senis vltimus ardor,
Sentio: nam flamma proximiore cremor.
O promisse mihi dudum, modò denique misse,
Vt iuuat in vultu nunc habitare tuo.
Vnum te sitiens, menses meditabar & annos,
Et mihi pro seclis mensis, & annus erat.
Ad templum quoties oculo vigilante ferebar,
Fors mea, dicebam, gaudia templa dabunt,
Huc me sæpè tulit spes credula, sæpè fefellit,
Qui sperata daret pignora, nullus erat. (lis,
Hinc dolor, hinc crebris suspiria mixta quere-
Hinc mihi Luna grauis, Sol quoq; mœstus erat.
Absoluit nostros lux optatissima luctus:
Compensantque suas gaudia sera moras.
Venit io! venit pulcherrima Reginarum,
Venit io! summi baiula Virgo boni.
Hoc modò possideo, sum rege beatior omni,
Vlterius votis non licet ire meis.
Expectasse iuuat, senij neque pænitet: hoc est,
Viuere bis, vitam posse tenere suam.
Te Teneo. *Mea vita*, mei *Spes* vnica fati,
Et simul occultâ me ratione tenes.
Haud aliter ferrum magnetica gemma prehensat,
Et paleam electri vis operosa rapit.

Parce puer, *Deus* humanis circumdate membris,
Si cupidâ tracto membra tenella manu.
Vror Amore tui,tali liquefactus ab igne,
Hinc rigor è tremulo corde senilis abit,
Sit licet aspersum caput hoc albente pruinâ,
Horaque fatalis iam propè dicat,*Obi*:
Sit licet incuruum senij præ pondere corpus,
Et repetat cinerem pulueris vrna suum.
Te tamen amplexus, positâ ceu mole senectæ
Erigor, & Phœnix, si dabis, alter ero.
Iam moriar, tu flamma mea es, tu nobile bustum,
In cinerem tali vertar ab igne lubens.
Non timeo mea fata, dabis moriendo renasci,
Victuro cineri flamma fidelis erit.
Hinc ego, quam reliqui metuunt, nunc ambio mortem,
Sed timet aspectus, *O mea vita*, tuos.
Quid faciam? vocat inde meis Mors debita canis,
Hinc rapit amplexu vita cupita suo.
Ah; quã dissimili certamine luctor vtrimque,
Dum trahit in partes vitaque morsque suas.
Si cupio vitam, poscunt oracula mortem,
Si cupio mortem, Viuere Vita iubet.
Illa, vel illa potens, cupit vtraque vincere: vinci
Sum cupidus, dubito cuius at esse velim.
Lis grauis, & dubia est: lis indecisa manebit
Ni subeam vultus, iudiciumque tuum,
Arbiter esto: placet quod iusseris, istud obibo,
Siue iubes tecum viuere, siue mori.

ELE-

ELEGIA X.

De Christo futura prædicit.

QVid me respectas genitrix? quid brachia pandis?
Quid geris in manibus lumina fixa meis?
Quo tendas, video: pignus cæleste reposcis,
Et benè nata sibi mella requirit apis.
Attamen indulge morulam: tua, *Virgo*, voluptas
Illa perennis erit, quod precor ipse, breue est.
Iam sine mellifluo satiem mea lumina vultu,
Depositi custos, non ego raptor, ero.
Vidimus hunc, nec adhuc satis est, iuuat vsque videre,
Experior dulces hoc in amore moras.
Annuis? ergo iterumque iterumque fruamur *Iesu*,
Figamus teneris basia multa genis.
Hæc ego dum repetam, vis me tua dicere fata?
Nam quoque me vatem, pusio magne, facis.
Dicam igitur. *Puer ille* venit (mirabere *Virgo*)
In mala fata malis, in bona fata bonis.
Hos premet, hos tollet, hinc casus, inde triumphi,
O felix tali turba leuanda manu!
Hoc signum, hic scopus est toti spectabilis orbi,
Quem feriet telis gens inimica suis.

Plurima

Reddimus ah! flentes: diuellimur, optime *Iesu*,
Et pariter tecum *Cor* abit omne mihi.
Ergo vale, dilecte puer, genitrixque puelli,
Æternùm vt valeam, dic quoque, *Christe*, Vale.
Cernitis? arrisit formoso leniter ore,
Nutibus & tacitis, *ire*, *Valere* iubet.
Ibimus, at sine Te malè ne labamur in vmbras,
Hoc puer esto seni quod tibi mater erit.

LACRYMÆ DVLCES S. IGNATII.

ARGVMENTVM.

S. *Ignatius de Loiola, Soc.* IESV *fundator* singulari lacrymarum, & orationis dono præditus, atque hæc vsurpare solitus. *Quam sordet terra, dum cœlum aspicio*, nocte serenâ, hinc cœlorum pulchritudine, inde rerum humanarum vicissitudine consideratâ, vehementer ad patriam cælestem aspirat.

ELEGIA XI.

Oculis cœlos perlustrat.

Roma vale, *Loiola* tuus, proficiscor ad arces,
Quas colit inuerso nomine, dius *Amor*.
Indigetes magni, lectum genus, addita cælo
Sidera, formoso lucidiora die, Vester:

Vester ego venio rursum spectator ab vrbe;
O vtinam vultu vos propiore legam.
Vester ego? fallor, necdum mea patria necdum
(Hinc calida ora rigat lacryma) vester ego.
Heu! extorris, inops, & adhuc miserabilis exul,
Quâ licet ad superos scandere nitor ope.
Nitor: at audaces pigra sarcina præpedit alas,
Hinc ego cum segni corpore bella gero.
Hic tamen est nostri quædam medicina doloris,
Et leuat exilij tormina lenta mei.
Sunt mihi veloces gemini sub fronte ministri,
Hos quocumq; lubet mittere, mitto foras.
Illi trans Zephyros subitò, per inania rerum
Ocyus intorti fulminis igne, volant.
Momento rutili percurrunt mœnia mundi;
Quidquid & occasus, quidquid & ortus habet,
Ad libitum reuolant, & signa domestica seruant,
Et domino referunt plurima visa suo.
Hos ego, dilectum crebro super æthera misi,
Curreret illimis cum sine nube dies.
O quas delicias! ô quot mellita tulerunt
Gaudia, mortali vix capienda sinu.
Hos lubet & tacitâ legatos mittere nocte,
Apta ministerijs nox erit ista meis.
Alta quies rerum, placidique silentia mundi,
Et nitor æthereus, blandaque regna iuuant.
Ergo oculi rursum per amica palatia diuûm
Currite, sublimes sollicitate plagas.
Vos ibi defixis obtutibus opto morari;
Quo mora maior erit, hoc magè dulcis erit.

Lumen vtrumque volat, sed rumpere nescit
olympum,
Ætheris ad nitidas hæret vtrumque fores.
Hæreat vsque licet, videat geminosq; triones,
Fulgentesque Hyadum, Pleiadumq; choros.
Interea feriam tot suspiratibus astra,
Vt valeant flecti questibus illa meis.
O Domus! ô patria! ô diuûm sacraria! noster
O Amor! ô vno regia digna *Deo!*
O Decor! ô facies blandè ridentis olympi:
Vt mihi luce prius, sic modò nocte places.
Quid facies præsens, quæ me sic eminus vris?
Quid possessa, procul sic vbi visa rapis?
O nox! aurea nox! quam circum mille pusilli
Exhilarant soles, flammeolæque faces.
Ebria nox tot delicijs, quot picta pyropis,
Dic mihi, quando nouæ nuncia lucis eris?
Illius ô lucis, quam nullus vesper opacat,
Præ qua nox mera sit, quidquid vbiq; nitet.

ELEGIA XII.

Mente supra cælos assurgit.

Altius audendum est: procul euanescite terræ,
Curaque dædaleum sæpè morata pedem.
Nil oculis agimus, specie pascuntur inani,
Sidera sunt alijs nunc adeunda rotis.
Andabatæ ritu, clausis luctabor ocellis,
Lumina quo nequeunt tędere, mente ferar.
I bona Mens supera nebulas, ventosaque regna,
Cæruleasque vias, stelliferasque domos.

I celer ad summi tectum sublime Tonantis,
Et faciles tenui murmure tunde fores.
Audior: ales adest turba de cælite missus,
Et quis ego, quonam vectus ab orbe, rogat.
O superi! nostis: nec enim nouus aduena vobis
Aduehor, has crebrò triuimus ante vias.
Si tamen vsque iuuat mortalia nomina nosse,
Expediam: posthæc tu modò pande fores.
Ipse ego sum Loiola, datum cui nomen ab *Igne*
Debuit ignis humum linquere, linquit humum.
Martis amans quondam: sed Mars male læsit amantem,
Hinc didici rectum quærere claudus iter.
Et teneo, calcemque premo præeuntis *Iesu,*
Ille mihi nomen iam dedit, ille meis,
Dicite cælicolæ, *Christi* comes infimus adstat,
Propitius Romæ, qui mihi dixit, *ero.*
Dicite; & extemplo limen reserabit amicum,
Ibit & in nostros obuius ille sinus.
Non cassæ cecidere preces: patet ardua cæli
Regia, flammanti conspicienda tholo.
Quæ regio? quæ forma loci? quo transferor? io!
Me rapit intuitu pompa beata suo.
Hic demum inuenio spectacula numine digna,
Hic satis est: habeat res sibi terra suas.
Quocumque aspicias, aurum vndique, & vndique gemmæ,
Omnia lux, plausus, palma, trophæa, rosæ.
Hæc domus, hæc vrbs est, hæc cœna, corona, brauium,
Hæc tempe, hic colles, elysiumque nemus.

Hæc

Hæc patria, hæc vita eſt: quid cetera nomina
narrem?
Exſuperant vires nomina tanta meas.
Hic auguſta *Trias*, *Triadiſque* illuſtre theatrum
Explicat immenſas, queis ſatieris, opes.
Ipſe ſibi regnum, ſibi regia, tota ſupellex
Eſt *Deus*: ex illo gaudia fonte fluunt.
Gaudia ſincera, exundantia, candida, fellis
Neſcia, per nullos interitura dies.
Gaudia, quæ penitus mentemque animumq; pererrent,
Sentio: lætitiæ ſtilla vel vna beat.
Hoc ego cælicolas omnes de fonte notaui
Ducere inexhauſtas pectore delicias.
Felices animæ! quibus hæc indulta voluptas,
Inuideo veſtris, aurea turba, bonis.
Ipſe quidem veſter nunc ſum (*Deus* annuit)
hoſpes,
Sed breuis hoſpitij gratia talis erit.
Rurſus ad humanas opus eſt deſcendere curas,
Et faſtiditam cernere rurſus humum.
Dum tamen vſque datur carâ regione potiri,
Hac fruar: hoc reduci grande leuamen erit.
At quoſnam intueor ſtellatâ in veſte ſodales?
Hoſius hic, nuper raptus ab orbe mihi.
Hoſius? ô carum nomen mihi! fallor? an iſtic
Eſt *Faber*? Allobrogum gloria, noſter honor.
Gratulor ambobus, notiſque ex ordine diuis,
Non capit amplexus tanta caterua meos.
Quis procul ille autem palmis *orientis* onuſtus
Ducit ab eois agmina clara plagis?
Agnoſco veteres vultus, animoſque viriles,
Eſt meus heroo pectore *Xauerius*.

Ô Pa-

O Pater! ô ingens Nabathææ gloria gentis,
Cui Tagus,& Ganges gemmea dona ferunt,
Aspice me,& populis,& habenti nubila terræ
Eripe,fac tecum totus in astra vehar.
Sic tibi sit *Iesus* dux,& Regina *Maria*,
Sic faueat laudi China,Iaponque tuæ,
Hæc ego:cum subitus festiua per atria clamor
Romuleos iussit me remigrare lares.
Ergo iterum inuitus terræque mihique redonor,
Sed tamen ad superos mens oculúsque redit.

S. IGNATIVS VARIA VIDET IN COELO, atque aëre spectacula, humanæ inconstantiæ Symbola.

Spectaculum Primum.

Ignis fatuus.

LVdor?an è vacuo delabitur æthere sidus?
Labitur,& multo lumine signat iter.
Vt pariter micuit,pariterque euanuit: illa
Crede mihi,quiddam stella caduca notat.
Hæc periturarum simulacra fugacia rerum,
Hæc species pompæ,mobilis aula, tuæ.
Est breue fulgur honos,dum grandia parturit,vrit,
Dum ludit lædit;quando oritur,moritur.

Spectaculum II.

Plenilunium.

QVis nouus hic spendor? formoso promicat ore
Cynthia,fraternis æmula facta rotis.

Vt

Vt nitet! vt pleno noctem collluminat orbe,
Ducit & in teretes, aurea signa, choros.
Ecce præit, populósque suos rutilósque quirites
Artificis laudes dicere nocte iubet.
Audio: nescio quid gyrati machina cœli
Concinit, ad numeros docta salire suos.
Mens iterum è vinclis; curisque minoribus exit;
Et superos ignes, castraque nota sequor.
Astrorum, Lunæque parens, molisque rotundæ
Conditor, ipse operi gratulor vsque tuo.
Te tamen ô opifex opere hoc formosior omni
Plus amo, plus totis diligo sideribus.
Tu mea lux, mea Luna, meus Sol, vnicus vnus
Omnia, *Te solum quisquis habet, sat habet.*
Dulce quidem est cæli radiantem cernere vultum,
Dulcius at faciem posse videre tuam.
O! si tanta foris stellati est gloria tecti,
Nobilius quanto, quod latet intus, erit?
Quam mihi sordet humus, dum patria sidera lustro,
Dissimilis cœlo, *quam mihi sordet humus*!
Mille hic tædia sunt, dolor est tot tædia ferre,
Sed dolor à regno maior abesse meo.

Spectaculum III.

Eclipsis Lunæ.

ECce sed astriferos dum fixiùs intuor orbes,
Non leuis inuasit sidera cuncta pauor.
Nam-

Namq; coruſcantum poſito ſplendore comarũ
Obſcuris Dominam vultibus ire vident.
Scilicet oppoſitâ pallet telluris ab vmbrâ,
Et ferrugineis Luna laborat equis.
Quam perijt ſubitis argentea forma tenebris!
Et prius in nitido quod fuit ore, iubar.
Dicite, qui vigiles cæli percurritis ignes,
Quid color inſolitus, quid labor ille velit?
Suſpicor, & verum eſt: tua ſunt hæc Symbola, *Munde*:
Ingenium *Lunæ* verſicoloris habes.
Nam modo tota latet, plenâ modò fronte renidet,
Aut faciem minuit corniculata ſuam.
Nunc rubra, nunc fuſca eſt, refugo nunc luget amictu:
Appoſitè mores exprimit illa tuos:

Spectaculum IV.

Stellarum obnubilatio.

EN latuere ſimul ſpecioſæ noctis ocelli,
Cæcus & eſt æther, qui prius Argus erat.
Quænam cauſa mihi radioſos occulit ignes?
Hoc vapor, hoc nubes inuidioſa facit.
Vna repens nubes mundo tot ſurripit aſtra,
Vnica quot terris gaudia mors adimit?
I Proteu mundane, leui confide ſereno,
Si patitur noctem *Luna*, vel aſtra ſuam:

ELEGIA XIII.

S. IGNATIVS

Vni Deo, inter omnia hic mutabilia immutabili inhærendum monet.

NIl manet: aſſiduo voluuntur cuncta rotatu:
Teſtis opus? cælum terráque teſtis erit.

Mobile

Mobile perpetua cælum vertigine, partes
Nunc obit eoas, nunc obit hesperias.
Sidereæ Titan dux aureus ipse cohortis
Circuit aligeris æthera semper equis.
Et leuia æternas decurrunt astra choreas,
Et labor irrequies, te quoque luna, rapit.
Nil manet: instabilis regni caput aëra cerne,
Hũc calor, hunc algor, nix, notus, imber agit.
Nil manet: hoc annus tot tempestatibus actus.
Hoc loquitur breue ver, canaq; bruma satis.
Omnia mutantur! Deus immutabile perstat,
Et ciet immotus motibus omne suis.
O *Deus!* ô nostræ statio firmissima puppi!
Te sine spuma leuis, fluctus, & vnda sumus.
Te penes omnia sunt rata, fixa, perennia, certa,
Te sine res omnis fluxa, caduca breuis.
Huc ades, insanæ venator homuncio pompæ,
Hic titulos disces pulueris vrna tuos.
Puluis es? exurgant venti, tolleris in auras,
Aura volas? subito turbine *nimbus* eris.
Nimbus es? exstillet cælum, migrabis in vndam,
Vnda fluis? medio flumine, *bulla* natas.
Bulla nites? tenui soluêre simillima fumo.
Fumus es? in nebulas more vaporis abis.
Es vapor? efficies radijs solaribus *vmbra*,
Vmbra quid? atra soror noctis, inane nihil.
Es nihil, vmbra, vapor, fumus, tenuissima bulla,
Egregias laudes, quas mediteris, habes.
Euigila tandem, cælum, gens terrea cælum
Suspice, mox noster nausea mundus erit.
Illic delicias, illic ingentia regna
Inuenies votis nobiliora tuis.
Punctum terra breue est: ô dementissime rerum
Ampla quid in *puncto* condere regna paras?

Ecquid agis? punctum hoc ferro partiris & igni,
Nempe hæc militiæ splendida facta tuæ.
Punctus amor, sunt punctus opes, sunt punctus honores,
Excute, ne punctis dilacerere tuis.
Sit licet aulæis tellus instrata, vel auro,
Sit licet & gemmis lucida, picta rosis,
Ad cælũ nihil est: minimus vel punctus olympi
Terrarum totâ plus mihi mole placet.
O *Deus!* ô cælum! dulcissima nomina! *Iesu*
O desiderijs meta suprema meis.
Ah! quando Romamque nouam, veteremque relinquens,
Despiciam puncto regna minora suo?
Hic neq; mẽs valet expleri, neq; lumina: plena
Tunc satias, cælo dum potiemur, erit.
Exulis interea missas *Deus* aspice guttas,
Vltima nox lacrymis vda sit ista meis.

LACRYMÆ DVLCES ET PITARDORES S. FRANCISCI XAVERII.

ARGVMENTVM.

S. *Franciscus Xauerius*, ex regno Nauarræ oriundus, *S. Ignatij* socius potissimus, vir fuit excelsæ planè virtutis, mentis inuictæ, zelo diuino *Elias* alter, animo *Dauid*. Hinc cum illi Europa nostra nimiũ videretur angusta, omnẽ Orientẽ breui peruasit, vnde & Indiarũ ac Iaponiæ præsertim primus Apostolus est nuncupatus. In curis autẽ vigilijsque pro

pro dei honore susceptis, tantis plerumque affluebat gaudijs, vt in hasce voces identidem prorumperet, *satis est, Domine, satis est*; quin & vice versa, labores omnes in se vnum prouocaret exclamans, *Amplius Domine, amplius.* vide in eius vita per Tursell. scripta. *l. 2. c. 10. lib. 3. c. 3. et. c. 13. & alibi.*

ELEGIA XIV.

S. Francisci ardor in India, pro gloria Dei.

Liquimus hesperios fines, gremiumque Nauarræ,
Et Pyrenæis rura superba iugis.
Trans freta, trans Tanaim, trans acroceraunia visu
Horrida, trans scopulos, oceaniq; minas,
Mille per amfractus, capitis discrimina mille,
Per libyæ syrtes, caucaseasque niues.
Europamque, Asiamque super, felicibus auris
Venimus in portus, India cara, tuos.
Venimus, atque nouum celeres lustrauimus orbem;
Pace tua dicam, nil habet ille noui.
Stat vetus in vitijs, & amat commercia noctis,
In tenebris oriens (quis putet?) omnis erat.
Auroræ videt ille quidem, phœbique penates,
Nil tamen Auroræ splendidioris habet.
Assiduo pariter Solis torretur ab æstu,
Et tamen horrendum sustinet ille gelu.

Si lucem flammasque nouas, quas destinat æther,
Concipiat, meritò tunc nouus orbis erit.
At bene: iam primæ pandit sua lumina luci,
Et fidei radios, quos malè fugit, amat.
Mygdonij proceres, atro gens Memnone nata
Currite: candoris defero signa noui.
Nulla smaragdorum sitis huc, fuluiq; metalli
Mouit anhelantes ad noua regna pedes.
Non Arabum me traxit odor, ditesq; Moluçç,
Non Ternatini gleba benigna soli.
Est aliquid gemmis, & Lydo dignius auro,
Non satiat nostram Persica gaza sitim.
Vestra salus, me vestra salus rapit, & rapit ardens
Gloria, despreto restituenda Deo.
Hæc mihi penna fuit, qua trans freta vasta volarem,
Illa fuit puppi remus & aura meæ.
Currimus eoas, hac impellente per oras,
Subdimus & dulci barbara colla iugo.
Iam Tanais, Gãgesq; Dei sacra nomina discũt,
Tigris & Euphrates quæ didicere prius.
Iam Mozambicus, sterilique Socotora tractu
Gestit, & aduentu læta Melinda meo est.
Hinc Comorinæos peruasit fama recessus
Numinis, & toto littore clamat, Io;
Clamat io, gemmasque suas, viridesq; lapillos
Deuouet auctori nobilis ora suo,
Hinc veteres *Thomæ* Meliapora narrat honores,
Et stygios horret Maurica turba rogos.
Quid? quod & accedit nostro Malaca triũpho?
Subijcit & fasces iam Goa victa suos.
Extremi Iapones, nostro gens nata labori,
Nuper & ad nostras obstupuere faces.

Hic

Hic tua res agitur, *Iesu*, modo cæpta secundes,
Confluet in leges vltima Sina, tuas.
Est aliquid cœpisse: iuuant primordia rerum,
Sparsimus eois semina prima plagis.
Ardet adhuc, tamen ardet adhuc in pectore flāma,
Quęrit & ingenio pabula digna suo.
Xauerio, superi, totos concedite mundos,
Xauerio mundus non satis vnus erit.
Vnus *Alexandro* non sufficit orbis: & orbis
Esse queat nobis portio quarta satis?
Haud satis, haud satis est: alias mihi pandite terras,
Non facit ad nostras tam pila parua manus.
Parcite cælicolæ votis ingentibus: ipse
Ipse animos subdit, qui calet intus, *Amor*.
Acer *Amor*, qualem nuper spectauimus: huius
Si lubet, effigiem, qua rapiaris, habe.

ELEGIA XV.

Certamen diuini Amoris cum Xauerio, vnde æstus, & lacrymæ.

EST propè nascentis radiosa cubilia Phœbi
Insula, fluctiuagis vndiq; cincta fretis,
Mons vbi pręrupto procurrit in æquora dorso,
Summa tegit pinus, cetera buxus habet.
Hinc mare prospiciens, pini meditabar in vmbra;
Quam mea Iaponibus dextera ferret opem.
Ecce mihi subitò, blando pulcherrimus ore
Adstitit in viridi pusio rarus humo.
Labra rosas, oculi flammas, formosa pręibant
Colla niues, vestes sidera, poma genæ.
Crispula cæsaries obrizo concolor auro,
Ludibrium Zephyri lenè fluentis erat.

Ambroſios toto ſpirabat corpore odores,
Hæſit odor, credas inde fuiſſe *Deum*.
Pendebant humeris pennæ, talaria plantis,
Et faciles arcus, telaque parua manu.
Vt vidi, obſtupui, pharetrâ faculâq; minantē,
Nam facis & pharetræ baiulus ille fuit.
Ac prior exclamo: puer ô dulciſſime rerum,
Quid petis? aut quonam deuius orbe venis?
Quid tener, & ſolus per inhoſpita rura vagaris?
Ah! rapidis fies præda cruenta lupis.
Non metuis ſæuaſque tigres, fuluoſq; leones?
Barbaricas tellus educat iſta feras.
Quid tibi cum telis? nil te tua tela iuuabunt:
Quid tibi cum tædâ? non eget igne locus.
Ille nihil: verum poſitâ face corripit arcum,
Telaque de pharetrâ nobiliora legit.
Dum legit, aptat opus, dextraque oculoque ſagittam
Dirigit: expecto, quem petat ille ſcopum.
Hei mihi, diſperij! noſtro ſtant ſpicula corde,
Sentio: deſcendit vulnus ad oſſa meum.
Quid facis, alme puer? fixiſti pectus amicum,
Cur merui iaculis ſaucius ire tuis?
Pone metum, *Franciſce*, nihil mea tela nocebunt,
Inquit, habes dulci vulnera facta manu.
Ipſe ego ſum *Diuinus Amor* (cui militat omnis
Machina) te terris, teque ſecutus aquis.
Exoptatus ades, puer ô fortiſſime, dixi,
Sunt mihi militiæ ſymbola grata tuæ.
Eia feri rurſum, præcordia tota recludo
Lampadibuſque tuis, miſſilibuſq; tuis.
Hæc ego: mox raptâ nudum face pectus adūſſit
Entheus ille puer, tædifer ille *Deus*.

Ardeo

Ardeo, clamabam, flammas tamē ille recentes
Addidit; hinc sacro totus in igne fui.
Vror & in dulces lacrymas ardore liquesco,
Qui prius ignis eram, mox ego riuus ero.
Parce, *Sat est*, quo tendis *Amor*? tua supprime tela,
Ne pereant vitæ stamina, tolle faces.
Reddere vis animos? rigidos concede labores,
Sunt mihi deliciæ tormina, pæna quies.
Nos alimur duris: *talis decet esca leones*:
Non facit ad stomachū dulce tragema meū.
Aspera pertulimus: tamē *amplius amplius* adde,
Non satis esse potest, quod satiare nequit.
Hic acidis pascar, cælo melimela reserua,
Nam modò, quæ nôrint pungere, mâla placent.
Ergò alias, *Amor*, atq; alias superingere pænas,
Ni patiar, moriar: ne moriar, patiar.
Vix ea fatus eram; cum me complexus amantē
Est *Amor*: hinc rediit primus in ossa vigor.
Iamq; volaturus reditum super astra parabat,
Surripui pennas hic, *Amor* alme, tuas.
Vt facinus vidit; limis subrisit ocellis,
Penna deest, tecum, si moror, inquit, ero.
Hinc comes est, hinc ductor *Amor*, quocumq; vagamur,
Ille meis pennis vtitur, ille suis.
Militat hic mecum, mecū æstuat, esurit, alget,
Ardua res nobis nulla duobus erit.
In me coniuret mare fluctibus, Æolus euris,
Styx furiis, cælum fulmine, terra feris.
Sæuiat auster aquis, gelidis aquilonibus Arctos,
Sol radiis, æstu Sirius, aura niue.
Omnia pro subigam Christo duce, vincet *Iesus*:
Omnia, quæ nequeo vincere, vincet *Amor*.

Nil ego, nil possum, possum tamen omnia *Iesu*
Auspice: sum *Mosis* virgula, quanta domat!
Eia age barbaries toto molimine contra
Irrue, quod tundas, cor adamantis habes.
Et cor amantis habes, non est violabile ferro:
Non metuit laurus fulmina, laurus *Amor*.
An mihi vincla paras? nescit mês libera claudi:
An manicas? pridem me sibi vinxit *Amor*.
Carceris an tenebras? micat inter nubila phoebus:
Verbera? consurget lætior inde seges.
Exilium? nusquam est virtuti, regnat vbique:
Naufragium? cælum tunc mihi portus erit.
An Decij flammas? maioribus ardeo flammis:
Nil facis, ignem igni posse nocere nego.
An crates? tales risit *Laurentius* olim,
Et mihi de simili laurea crate placet. (phat.
Fornaces? at in his Babylonia turba trium-
Nil auro, stipulas dum vorat ignis, obest.
Anne aciem stricti minitaris acinacis? illum
Excipiam prompto pectore, perge, feri.
Anne crucem? hanc dudum flagrantibus expeto votis,
Nec desiderio crux satis vna meo.
Vincula, lora, rotas, ergastula cæca, catastas,
Mucrones, flammas, verbera, tela, cruces,
Omnia (stabit *Amor* quamdiu mihi fidus Achates)
Ringere barbaries, omnia perpetiar.
Hæc inter fronti stabit color: adde supremam
(Illa coronis erit) per mala lenta necem:
Excludes terris, sed pandes sidera: non est
Hoc cadere, vt surgas: ne moriare, mori.
Sol nisi decũbat, nõ nascitur: opprime palmã,
Surget, & vt crescat messis opima, latet.

Hæc mihi dictat *Amor*: vos credite vera loquenti:
Omnia cum vincat, vos quoq; vincat *Amor*.

ELEGIA XVI.

Paranesis S. Xauerij, ad Academias Europaas.

VOs Europæis pubes operata palæstris
Alloquor, immenso dissitus oceano.
Alloquor, hei! lacrymans: lacrymas vos fingite nostras
Cernere, & in penitis condite verba fibris.
Quid doctis toties iuuat impallescere chartis?
Quid multâ prodest nox vigilata face?
Quid iuuat in scirpo nodus, certamē in vmbrâ?
Quid lyra, quid tripodes, palladiumq; nemus?
Nempe operæ pretiū est, quid distet stoa lycæo
Nosse, vel Hebræus quid sibi poscat apex.
Sat *Phoebo, musisq;* datum: vocat altera *Pallas*,
Et venit in vestras altera Sparta manus.
Ponite nunc calamos, Iuuenes, radiosque stylosque:
Excidat è digitis *Tullius* atque *Maro*.
Cedat *Aristoteles*, paulum secedat *Aquinas*,
Linque tuas leges *Bartole Balde* tuas.
An petitis causam? causam damus: heu! *domus ardet*,
Et iuuat arsuris inuigilare libris?
Publica communes poscunt incendia lymphas,
Nemo tamē promptā nemo ministrat aquā.
Hûc lacrymas, lacrymas saltē date: sæpe furētes
Acriter, extinxit lacryma parua rogos.
En malè collectis ditantur tartara prædis,
Et sinitis prædas ditis ab ore rapi?

Aurea dum ſudo numeratis ſidera cælo,
Hei dolor! in barathrum ſidera multa ruūt.
Dum diſceptatis de nomine: *perditur hic res*,
Res grauis, Attalicis anteferenda bonis.
Diſpereunt *animæ*: ſucurrite, tendite dextras,
Vos ab Erythræo litore fama vocat.
Auditis? ſonuere tubæ; migrate palæſtris,
Ad campū, ad ſolē, ad puluerē, ad arma ciet.
Fortiter audendum eſt: nemo ſine ſanguine vincit;
Sic decet: hic vulnus nō habuiſſe probrū eſt.
Ferte animos, *animas* ſi quæritis: ignea, viua,
Maſcula, cæleſtis pectora quærit *honor*.
Huc alacres properate: vocat, vocat *India* tota,
Porrigit & cupidas, trans maria alta, manus.
Hic patet in veſtras regio latiſſima curas;
Ex illo ſeges eſt ampla metenda ſolo.
Ampla ſeges, ſed raræ operæ: date, ferte colonos,
Quiſquis erit meſſor, credite, diues erit.
Quid dubitatis adhuc? fauet aura, intendite vela;
Vos vehet huc celeri puppe Magiſter *Amor*.
Tot promontoria, & portus, tot littora luſtrat
Inſtitor, exigui ſpe rapiente lucri.
Vos animæ pretium, *Chriſti* cruor, ampla Tonantis
Gloria, plus auro, plus adamante trahat.
Sors bona! ab heſperio properantes cardine cerno;
Hoſpitibus totos *India* pande ſinus.
Amplexare tuos *Iapania* læta parentes,
Obſtetricantes experiere manus.
Quid cerno? vix nata fides iugulanda tyrannis
Traditur; hinc multo tincta cruore rubes.

Nil vereare tamen soboles mea: *sanguine cresces,*
Et Lacrymis; largo quas tibi fonte dabo.
Sed satis est, iam plura vetor. Tu quisquis *Iesum*
Diligis, & *Iesu* dilige delicias.
Ah! *animas, animas* orco eripe: nobile lucrum
Istud (amet quiuis quod lubet) istud ama.
Affere Myriadas tecum: vix dignus olympo est,
Ad superos nullo qui comitante venit.

RHYTHMVS.

In Psalmum 41. qui sic incipit.

Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus, &c.

Hic exprimitur ingens ardor animæ ad *Deum* fontem aquarum viuentium, ex hac siticulosa ærumnarum valle anhelantis.

I.

VElut æstuante cælo
Agitata cerua telo,
Venabulove saucia,
Per summa, & ima montis,
Salientis ora fontis
Anhelat, errat anxia.

II.

Ita nostra mens potenti,
Et ad ossa transeunti
Amoris icta cuspide,

Deus, O *Deus* benigne,
Supero calens ab igne
  Suspirat ad te feruidè.

III.

Sitit ah! sitit misella
Animula passa bella,
  Cælestis vndas fluminis.
Ah! quando, quando viuo
Satianda fonte, diuo
  Fruetur ore numinis?

IV.

Mora torquet: hinc ocellis
Ceu fontibus gemellis
  Manant perennes lacrymæ:
Seu Lucifer nitescat,
Seu vesperugo crescat,
  Hæ sunt dapes dulcissimæ.

V.

Meritò queror, superbis
Quia gens petulca verbis
  Inclamat audacissimè,
Vbi tuus est amator,
Deus ille sospitator?
  Quo gloriaris maximè.

VI.

Pupugere iam dolentem
Memorata dicta mentem,
  Hinc instar amnis effluit.
Tamen vnicum leuamen,
Hoc temperat grauamen,
  Dum gaudij spes affluit.

Aderit

VII.

Aderit, O adsit ille
(Animitus opto) mille
Dies triumphis inclitus:
Resonante quando laude,
Volucrique par alaudæ
Hinc emigrabit Spiritus.

VIII.

Rapidòque cum volatu,
Comitante me senatu
Ad limen augustissimum;
Vehar à choris amatis
Ad vsque *Trinitatis*
Conclaue diuinissimum.

IX.

Lituisque, tympanisque,
Citharisque, nablijsque
Suauè perstrepentibus;
Geniale, nuptiale:
(Nihil hoc in orbe tale)
Diuis melos canentibus.

X.

Vbi tanta lux honorum,
Vbi tanta vis bonorum,
COR imbuit dulcedine:
Age, tolle tolle questus,
Anime, quid vsque mæstus
Tabescis ægritudine?

XI.

Animosa spes labores
Soletur, & dolores
Sors læta, quæ promittitur:

Vbi facies beata
Æternitate lata
Amabitur, laudabitur.

XII.

Tamen ob pericla dira,
(Vicissitudo mira!)
Hic spe, metuque torqueor.
Ideoque continenter
Gemo, turbor, & dolenter
Curis amaris vrgeor.

XIII.

Peregrinus hic oberro,
Patriamque mente quæro,
Memor suauitudinis:
Heu! quæro sæpe tractus
Loca per molesta, tactus
Horrore solitudinis.

XIV.

Imitabor hinc *Dauidem*,
Qui fleuit ista pridem
Humecta iactans lumina
Iordanis ad liquentis
Carecta, vel virentis
Hermonijm cacumina.

XV.

Prout vnda trudit vndam,
Et abyssus in profundam
Præceps abyssum voluitur:
Vbi fracta turbulento
Cataracta rapta vento
Fremēs, premensque soluitur.

Ita

XVI.

Ita ſeries malorum
Secum trahens dolorum
Tempeſtuoſum vorticem,
(Sors ſæua! ſors rebellis!)
Caput obruit procellis,
Ad vſque ſummum verticem.

XVII.

Poſt iſta, & iſta, & iſta
Mala eum pauore miſta;
Caliginemque turbidam,
Tandem benignioris
Author *Deus* nitoris;
Lucem remiſit candidam.

XVIII.

Lux centies ſerena!
Lux millies amæna!
Ducenda plauſu muſico:
Si nox opaca rurſum
Habeat ſuum recurſum,
Hanc leniemus cantico.

XIX.

Tibi, *Deus*, ô meorum
Primæue fons amorum,
Dicemus ex præcordijs:
Mea vita tu, decuſque,
Columen meum, ſaluſque
A ſæculi primordijs.

XX.

Dilecte mi, quid ergo
Cur ſic ad ima vergo
Tot obſitus mœroribus?

Cur immemor relinquis
Me perditum propinquis
Tot hoſtium furoribus?

XXI.

En vndequaque laſſus,
Et acuta tela paſſus
Fatiſco, rumpor, langueo.
Populi iocos furentis
Petulanter obloquentis
Perferre lentus haud queo.

XXII.

Audi, vide, ſuperbis
Vt iniqua turba verbis
Inſultet audaciſſimè:
Vbi tuus, inquit, author
Deus ille ſoſpitator,
Quo gloriaris maximè?

XIII.

Per amara, per cruenta,
Per acerba, dura, ſenta,
Fruar beatitudine:
Igitur omitte queſtus,
Anime, quid vſque mœſtus
Tabeſcis ægritudine?

XXIV.

Animoſa ſpes labores
Soletur, & dolores
Sors læta, quæ promittitur;
Vbi facies beata
Æternitate lata
Amabitur, laudabitur.

RHYTHMVS
In Psalmum 83. cuius initium.
Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum &c.

Insinuatur hic ardens ad Patriam cæleſtem deſiderium.

I.

O Cara cara patria,
Dei potentis atria
Toto petenda niſu!
Spectando vos, mens deficit,
Nil hic amanti ſufficit,
Ibi digna cuncta viſu.

II.

Illuc ſerenis lucibus,
Illuc amænis, noctibus
Per anhela vota tendo:
Necdum tamen (me gloria
Hæc vrit) heu! tentoria
Toties cupita prendo.

III.

Cum dulce nomen audio,
Cor exilit præ gaudio
Ad patrios honores:
Ah! tam decori luminis
Viuentis aula numinis
Rapit meos amores.

IV.

Habent puſilli paſſeres,
Habent gemelli turtures
Dulces ſibi latebras:

Vbi fouendo pignori,
Vbi fugando frigori,
Abduntur in tenebras.

V.

Mihi, *Deus*, rex optime,
Hîc exuli, lætissimæ
A patriæ viretis,
Augusta sunt sacraria;
Diuina sunt altaria,
Placidæ locus quietis.

VI.

Hic aureâ testudine,
Et carminum dulcedine
Sacra tecta personabo:
Sed clamor, & negotia
Beata turbant otia:
Hei! quando demigrabo?

VII.

O ter beati cælites,
Stellantis æthræ milites!
Misso procul pauore
Hi sæculis perennibus
Te canticis solemnibus
Nullo canent labore.

VIII.

Hunc & beatum iudica
Qui dum moratur tetricâ
In valle lacrymarum,
Fauente Diuum sidere
Molitur hinc conscendere
Ad templa gratiarum.

IX.

Ex his malignis vallibus
Ad ardua eluctantibus
Animo valentiore,

Qui

Qui sanxit orbi fœdera
Largitur ampla munera
Cornu beatiore.

X.

Nam roborati cælitus,
Eunt, eunt medullitus,
Stimulante *Visione*,
Quâ Numinis ter maximi
Spectaculi pulcherrimi
Fruentur in *Sione*.

XI.

Hæc vna Spes me prouocat,
Quando voluptas auocat,
Et dicit, *Otiare:*
Hæc mitigat fastidia,
Curas graues, & tædia,
Quæ cogor hic vorare.

XII.

O Imperator ætheris,
Deus Iacob, præ cæteris,
Age, cerne supplicantem:
Ex his malorum fluctibus,
Et turbulentis luctibus
Modò tolle, tolle amantem.

XIII.

O spes periclitantium,
Tutela te rogantium
Huc flecte, quæso, vultus:
Hoc postulat benignitas,
Tuique *Christi* dignitas,
Hoc fletus iste multus.

XIV.

Inter querelas flebiles,
Et vanitates labiles
Vltrà piget morari:

Domus

Domus tuæ formositas
Et sempiterna faustitas
Iam iam volunt probari.

XV.

Hic vna lux est dulcior,
Puroque melle plenior,
Inter tuos choraulas:
Quam ducta mille sæcula,
Inter iocos,& fercula,
Vel splendidas per aulas.

XVI.

Hic esse præstat infimum,
Et regiæ nouissimum
Ad limen assidere:
Quam cum viris fallacibus,
Mundi leuis sequacibus
Loca prima possidere.

XVII.

Vt his fruar palatijs,
Vanis procul solatijs
O præmiator alme,
Dabis benignus gratiam,
Dabis fidelis gloriam,
O spes beata palmæ!

XVIII.

Dabis,sed innocentibus,
Cauteque deuitantibus
Vada cæca prauitatis:
Fidit tuâ qui dexterâ,
Attinget aurâ prosperâ
Portum beatitatis.

RHYTHMVS.

In Psal. 121. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi &c.*

Proponitur hic exultatio piæ ac religiosæ animæ, propinquâ iam morte, ad cælestem Hierusalem, ituræ.

I.

Evocamur hinc ad astra,
Ampla templa, sacra castra;
Io! canamus io!
Imus, imus, nil moramur,
Spe propinqua gloriamur:
Io! canamus io!

II.

Sæpè iam te concupiui,
Sæpe mente te subiui,
Domini domus decora!
Quando raptus hac arena,
Tam beata, tam serena
Propius fruiscar ora?

III.

Ah! in ipsis pænè portis
Imminente lege mortis
Olim stetere plantæ:
Gestiebam iam subire,
Sed coactus sum redire,
Eluctor hinc vt ante.

IV.

Non grauabor hic deinceps,
Te sequemur, alme princeps
Solymæ beatioris.

O Sion

O Sion! Sion amata!
Vrbs amæna, læta, lata!
Formæ nitentioris!

V.

Strata gemmis, diues auro,
Plena palmis, plena lauro,
Violisque sempiternis;
Hic rosisque, lilijsque,
Plausibusque gaudijsque
Fruemur æuiternis.

VI.

Hoc ab orbe tot reuersis
Vna mens est vniuersis,
Ibi regna sunt *Amoris*;
Post labores post agonas
Hic Brabeutes dat coronas,
Ibi templa sunt honoris.

VII.

Dulce regnum, dulcis ô spes
Quando dicar huius hospes
Heresque faustitatis?
Quanta turba iam præiuit!
Turba felix, quæ petiuit
Domum beatitatis.

VIII.

Hæc ab omni lecta mundo,
Mente tota, corde mundo
Laudes canit Tonantis:
Semper istis immorari,
Laude multâ nec grauari,
Opus illud est amantis

IX.

O amica turba Diuûm,
Quæ per arctum gressa cliuum,
Premis aureas curules;

Assidere

Assidere digna regi
Iudicanti, quidquid egi,
Tuere contribules.

X.

Huc adeste, quotquot estis
Exulantes, atque mœstis
Suspirijs rogate;
Ah! rogate dona pacis,
Dona cæli tàm capacis,
Valideque consonate.

XI.

Pax in or[illegible]e, pax in vrbe,
Pax beatæ cara turbæ
Io! triumphet, io!
Pax amica largitatis,
Pax perennis vnitatis
Io! triumphet io!

XII.

Gens propinqua, gens renata,
Gens olympo destinata,
Te propter, hæc precamur:
Vrit ardor me Tonantis,
Patriæque splendicantis;
Valete, iam vocamur.

FINIS.

AD MAIOREM DEI, AC DEIPARÆ VIRGINIS GLORIAM.

AD LECTOREM.

NOnnulla hic, ob Authoris absentiam, irrepserunt errata: nec mirum; *Lacrymæ* de more *fecere Lituras*. At ne iis eluendis spōgia defuisse videatur; hanc, si lubet, benigne Lector adhibeto, & minores næuos excusato: Nam *Nullus vitijs sine nascitur: Optimus ille est, Qui minimis vrgetur.*

ERRATA.

Pag. 18. *verſ.* 17. flecte *leg.* flete. *pag* 23. *verſ.* 17. nisi. *leg.* mihi. *pag.* 32. *verſ.* 5. habet. *leg.* habes. *Ibid. verſ.* 16. diem. *leg.* dein. *pag.* 33. *verſ.* 11. miseram. *leg.* miserum. *Ibid. verſ.* 16. illuuiæ *leg.* illuuie *pag.* 54. *verſ.* 15. tactas. *leg.* tactus. *pag.* 65. *verſ.* 16. vixit. *leg.* viuit. *pag* 74. *verſ.* 5. ad *leg.* id *pag.* 82. *verſ.* 13. vt *leg.* &. *pag.* 85. *in tit.* iam. *leg.* primam. *pag.* 97. *verſ.* 19. Petra *leg.* Petræ. *pag.* 98. *verſ.* 16. picta, *leg.* picea *pag.* 133. *verſ.* 8. ast. *leg.* ah. *pag.* 153. *verſ.* 1. caligine. *leg.* loligine. *pag.* 153. *v.* 18. vnde. *leg.* vnda. *pag.* 164. *verſ.* 1. vlto. *leg.* vltro. *pag.* 175. *verſ.* 9. facimus. *leg.* facinus. *pag.* 176. *verſ. vlt.* Excidt. *leg.* Excipit. *pag.* 189. *verſ.* 20. Thethys. *leg.* Tethys. *pag.* 204. *verſ.* 20. suos. *leg.* suas. *pag.* 208. *verſ.* 22. beta. *leg.* beata.

3.